





3

# DISSERTATIO ACADEMICA,

Qua  
Doctrinam Medicam

De  
**C R I S I ,**

Sive

# NATVRAE MEDICINA,

*purgatam a vanitate & officiis*

# DIERUM CRITICORUM,

Una cum

Parænesi ad Philiatros,

Magnifici RECTORIS, & EXCELL. omnium Facultatum

PROFESSORUM, Collegarum honoratissimorum, disquisitioni

Loco speciminis Professorii, more Majorum

P.P.

IACOBVS van den VELDE,

Dr. Medicin. Profess. Prim. atque SERENISS.

PRINCIP. & DN. N. CLEMENTISS. Archiater.

Respondente

JOANNE JEREMIA HERBST,

Philosophiæ & Medicinæ Studioſo.

In Auditorio majori, ad Lanum, horis solitis

a. d. XIX. Novembr. A. ccccxv.

---

MARBURGI CATTORUM,

Apud PHILIPPUM CASIMIRUM MÜLLERUM, Acad. Typogr.

DISSESTITIO ACADMIÆ

Degressus Medicorum

GRISI

NATURÆ MEDICINA

DIERUM CRITICONIM

Praeleg. de Punctionis

Menges Rectori. & Enciclopediam Medicinam. Tertium. 1700.

Thesaurus Medicinalis. 1700. Medicina. Tertium. 1700.

TR

JACOBVS AVANTIAE

H. Medicina. Propter. Tunc. Sive. 1700.

Reichenbergi

JOANNÆ HERMIA HERZI.

H. Medicina. 1700.

Antonius. 1700.

Antonius. 1700.

Antonius. 1700.

Antonius. 1700.



## PARÆNESIS ad PHILIATROS,

De

Instituto CL. BAGLIVI & aliorum nostra etatis  
Celeb. Medicorum conantium Medicinam revocare ad  
priscam (ut loquantur) observandi rationem.



Edicinam suis nixam fundamentis, æque certa,  
ac ceteras humanas scientias, constare ratione,  
censem, quot quod sunt æqui rerum humana-  
rum arbitri. Nihilominus tamen compertissi-  
mum est, artem Medicam, inde ab antiquissi-  
mis temporibus ad hæc usque nostra, identi-  
dem esse agitatam & interpolatam commentis & hypothesis  
usque adeo variis & dissidentibus, ut fere non nisi hactenus in-  
ter ea conveniat, quod concepta sunt & nata unius ejusdemque  
indolis quasi matre, mentis videlicet contemplatione ab ipsarum  
rerum observatione abstracta, & per generalia principia libere  
discurrente. At neque pariter compertum est, neque fatis de-  
finitum, utrum ulla, & quæ talium hypothesisi vero Medicinae  
fini sit utilis & accommodata? Fuerunt nostro aëvo multi,  
& sunt in hunc usque diem, multo tamen quam dudum paucio-  
res, & fere finem artis severa minus respicientes, qui uni aut  
alteri hypothesisi, ut puta *Villiana*, *Sylviana*, aut his nequa-  
quam certiori, ad quam, tanquam ad scopulum sunt appulsi  
pertinaciter adhærent; eamque veluti Palladium omnis suæ ar-  
tis

A

tis

tis pugnaciter tueruntur. Sunt autem e contrario & alii, multoque, ut equidem arbitror, illis prudentiores, qui animaduertunt, tot ac talibus vagarum speculationum molitionibus ab omni exo fuisse profectum adeo nihil, ut nil magis scientiae Medicæ incrementis obliterit, nil magis genuina artis fundamenta concuscerit & labefactaverit, quam ipsa hæc singendi licentia, tantum non Poetica. Atque adeo sunt, quos iusto quasi flagrantibus zelo, auditis exclamare: *non oportere artem illam, quæ una mortalibus promittit sanitatem, conjecturis & somniis involvi; nec prudentis esse, illi vitam credere, cujus rationes plenissime falsæ, panificantes probabiles videntur.* Igitur ut tot hypothetibus controversis convulsæ & laboranti arti, ipsique adeo medicinæ medicinam faciant nostri avi Medici, rerum usu & doctrina excellentes, omnem impendunt operam. Eumque in finem in primis præcipiunt, & hanc veluti legem fanciunt: Medicis nefas esse, pro demonstratione, norma, instrumento actionis habeti, aliud quidquam, præter ea, quæ firma & fida observatione constantia, cœu per vera rerum & factorum suffragia, hincque subsumtam *inductionem*, neutriquam fallacem, ad intellectum aperte pervercentur. Ea autem, quæ observatione neque pervestigari queant, neque adeo liquere, veluti incomprehensibilis extra usum artis Medicæ esse, & relinquenda disputationibus Philosophorum indeterminandis. Inter eos, qui salutare hoc præpositum ab hinc aliquot lustris uscere, est **GEORGIVS BAGLIVUS** Romanus, Medicus sagacissimus, eximiam hinc nominis celebritatem, juvenilibus etiam annis, suo merito consecutus. Is excitatus Prudentiorum monitis, & exemplo cum primis **VERULAMII & SIDENHAMII**, mordaci auctor non solum, quos vocant, somniantes opinatores adspexit, quasi excitaturus, sed & una candidate & plene edocet media, quibus perfici ars Medicæ, & super certis suis fundamentis instaurari queat, edito singulari opusculo: *de Medicina ad priscam observandi rationem revocanda.* Libellus a prima editione Romana & A. MDCXCVI prelo & in Gallia, & Germania, & Bel-

**Archibald.**

**Pitcairnus,**

**Diss. Medd.**

1.

❧ 3 ❧

& Belgio sexies iteratus, est in manu omnium, & communis Medicorum applausa exceptus. Eoque non est nostro indicio locus, qua ratione unice necessarias observationes instituendas, & usui aptandas præcipiat Auctor Laudatissimus. Hoc solum notamus, ubique **HIPPOCRATEM**, seu præmonstratorem & ducent unice certum, in obseruandi via multis difficultatum salebris impedita, proponi sequendum imitandum. Hinc admirandi Hippocratis mira præconia: *Natura non hominis voce loqui Hippocratem; cum quippe nil quidquam opinioni aut conjectura fallaci indulsisse, sed liberum ab omni hypothesis & secta Philosophorum, naturam unice consuluisse, eique infinitis experimentis & observationibus investigate, tandem obsequendo imperavisse: hinc tuto credi, seu firmissima ratione constitutus, decretis Hippocratis; & quæ his sunt similia alia, quæ cœu verba cadentia tollit, & excollit ornamenti Oratoris & cothurnis Vir de Theoria Medicina solidiore hodieque optime merens.*

Quorum quidem Optimorum Virorum institutum, ut debo, magni facio, & tanto præstantius judico, quo est hominum vita & sanitas, quam in tuto collocare conantur, potior omnibus fortunæ bonis, nedium phantasie ludibriis. Verum enim vero mallem non excidisse, nimio forte animi & styli fervore, tanta Hippocratis, omnem sane humanæ conditionis modulum excedentia encomia; mallem in rebus cujusvis assidui observatoris industria obviis, liberam & humana auctoritate solutam industria; præsettim in tanta luce cultæ tot fengiferis experimentis *Physice, Anatomie, sobrieque & sane Chemie &c.* Deinde, ut libere, quod sentio, eloquar, mallem recognitione & censura severiore sigillatum fuisse & animadversa & discreta, quæ sint in ipso Hippocrate probanda, quæ imitatu, quæ vitatu digna, quam promiscue & universe laudata omnia. Enimvero doctrinæ optimæ frugis veluti thesaurum & ego in Hippocrate agnosco; quin & hoc, quod fidis antiquitatis monumentis videtur esse compertum, non voco in dubium, Hippocratem adjutum gentis suæ [Asclepiada] observationibus & experimentis, ali-

quot seculorum continua serie institutis, conservatis, auctis,  
 & (quasi hæreditate) per manus traditis; iisque instruētum, ad-  
 hibita summa illa, qua pollebat, solertia & sagacitate, naturæ  
 arcana proprius, quam forte suorum decessorū quemquam ali-  
 um, inspexisse, & intimius esse perrimatū: hinc & fuisse pri-  
 mum, qui conformata ad ipsius natura ductum nobis dedit  
 præcepta medendi; eaqué usque eo firma & constantia, ut &  
 sustinere viginti trium seculorum examen potuerint, & incon-  
 cussa in hunc usque diem perdurare.

Nihilo minus tamen & hoc videtur esse compertum, mul-  
 ta Hippocratis decreta esse admodum adhuc cruda & indigesta;  
 uti non est sane unius hominis rem difficultam & inchoare,  
 & simul perfectam dare. Ad hæc multa exstare universaliter  
 & aphoristice pronunciata, magis ex una aut altera particulari  
 observatione, conjectura, fluctuante traditione, quam ex con-  
 stanti & confirmata experientia; &, ut est veri non modo simile,  
 sed & facile ex multis locis, in primis Librorum Epidemico-  
 rum probandum, ea ab Hippocrate, dum artem saceret, seu in  
 ephemrides & adversaria fuisse notata, cum duntaxat in finem,  
 ut saepius iterata occasione recognosceret ipse, num eadem semper,  
 aut saltem ut plurimum, eodem modo se haberent, an secus;  
 igitur non sane tanti ea, quæ sic adnotaverat, fecisse, aut, quo  
 fuit candore, a suis posteris haberi voluisse, ac si forent decreta  
 & axiomata universalia & æternæ veritatis. Pro quibus si pa-  
 teremur illa talia nunc demum nobis obtrudi, quæ foret vecordia?  
 Quin immo quis porro non animadvertisit? doctrinam util-  
 em passim turn esse adeo ambiguam & obscuratam, forte studio  
 & dedita opera, more antiquitatis; tum alibi sic conspersam &  
 obseptam farragine vel nube variorum, & omnino dissidentium,  
 & manifeste falsorum Philosophinatum (prout fuit seculum  
 adhuc rude in talibus) ut sit ubique difficultum, genuinum  
 & boni succi sensum hinc colligere & secernere. Sic ut hæ-  
 rens quis inter talia ambiguus, forte in scriptis Hippocratis ju-  
 re vindicem desideret ipsum Hippocratem. Erit forte olim,  
 Deo



DEO volente, nostris laboris, huc explicatus disceptare. Nunc  
solum monemus majore cautione opus esse, ne, quod dicitur,  
*pro Junone nubem &c.* & in specimen damus Hippocraticam  
de *Crisi & diebus Criticus* doctrinam; ab una parte certam & u-  
tilissimam; quatenus stat ab experientia, & hinc cognitam tra-  
dit eam *morborum solutionem*, qua sit per *motus vitales sponte-*  
*reos*, seu ipsam *Nature Medicinam*; ab altera parte incer-  
tam, immo futilem & vanam: quatenus ultra experientiam e-  
vagatus Hippocrates, fluctuante sententia, illos ipsos motus  
salutares adstringere & circumscribere est conatus, stato dic-  
rum certorum termino. Erit ergo in primis nostri instituti  
demonstrare famosos illos *Dies Criticos*, tot seculorum, tot in-  
geniorum cruces, non tam constituisse Hippocratem firma &  
constant observatione, quam potius, hac quasi repugnante, ex  
*Philosophia Pythagorea*, eaque male intellecta, subsumsiisse &  
vitiose exputavisse. Hinc illos ipsos *Dies Criticos*, ceu male  
ortos, ab antiquorum prudentissimis fuisse dudum explosos;  
Galeni vero artibus Græcis, quasi per postliminium in Medi-  
cinam frustra receptos. Atque adeo actum agere Viros nostri  
xvi Celeberrimos, qui cum Baglivio, *diebus his albis & atris*  
(ut ipsorum quidam argutatur) auctoritatem & pondus denuo  
addere conantur. Quod si titubans in argumento arduo & per-  
plexo, adserendaque paradoxa sententia, forte alicubi fuero  
lapsus, veniam, ut spero, merebitur conatus &  
ingenuus & utilis.



A 3

Doctrina

6

Doctrina Medica  
DE  
**CRISI,**  
Sive  
**NATURAE MEDICINA,**  
*purgata a vanitate & officiis*  
**DIERVM CRITICORVM.**

I.



St velut ex magistrorum praescripto ea auctoritas doctrinæ de Crisi & diebus Criticis, ut ceu plannissime confeßam habeant, & divulgent quivis Systematum Medicinæ Scriptores cyclici. Nimirum jam inde a Galeni temporibus, sine ulla hæsitatione, nedum examine ullo, posteris usque & utique eam sic tradentibus, utri a decessoribus acceperunt. Hanc etiam tamen recoctam denuo depromere, nostri neque est stomachi, neque instituti; ut vel ex ipso Leminate obvium est cuivis arbitrari. Supponens igitur harum pagellarum Lectorem, (utique judicem) doctrinæ vulgaræ gnarum, vel ex quovis systemate erudiendum: qua inter Andrea Laurentii & Iulii Casaris Claudini de Crisi & diebus Criticis singulares Libelli palmam inerentur: non nisi ea, qua scopo nostro necessaria iudicavero, proponam. Et quidem, quod mihi ne sit fraudulenti libera, atque a scholasticis legibus paulo solituore, investigatio & animadversione ipsos insecurus doctrinæ Auctores, Hippocratem & Galenum; illius, ut ipse videri voluit, & ab omni

xxv

zvo habitus est, fidum & scitissimum interpretem. Reperio autem *κρίσεως* notionem, uti est *παλύσιον*, varie & ambiguo passim Hippocratem usurpare. Quam ipsam tamen varietatem non consequatur omnem; collectam in unum veluti acervum a *Foesto in Oeconomia Hippocratica*, opere summo labore affecto, sed ab Hippocratis amatoribus hodiernis oppido perficiendo. Nostrum est solum exquirere, quo significatu, cum de morbis eorumque mutatione loquitur Hippocrates, Criseos notione utatur. Solet autem fere trifariam. I. Pro concitate & vehementi motu, cœu *insta*, pugna natura in morbis contingente; ut *Libr. Pranot.* sub fin. *ἀτρεγέζιν*, μῆκος σημαιῶν, *κρίσις* δὲ *ἀτρεγέζις* νόσοι. Qui locus, ut iam olim contra *Leoni-* Lib. I. Epist. *cenum* recte notavit *Langius*, omnino sic verius: morbi trans- Medd. 37. quillitas s. *imperturbatio longitudinem* significat, *PUGNA ve-* ro, morbi *resolutio*. Conf. *Galen. de Diebus Decretor.* lib. 3. cap. 2. Hinc scilicet *Caelius Agrelianus*: *Passionis atque nature consili-* Lib. 2. Acut. *bus*, quos *Graci Crises* appellant. II. Pro quavis, in omnem eventum, insigni mutatione morbi cuiusvis, acuti nimirum & Chronicci, promiscue & indifferenter; ut *Lib. περὶ πεδῶν*, *Foest.* Edit. *Genevens.* f. 518. *κρίσις* in morbis dicitur, ἡταν ἀνθετα τὰ νόσους, οὐ μαρτυροῦσα, οὐ παλιντροποῦσα, ἡταν νόσουα, οὐ τελευτῶν, cum morbi augmentur, aut marcescent, aut in aliud morbum transeunt, aut finiuntur. Conf. *Lib. I. Epidem.* in fin. sect. 3. Sicque dicuntur *κρίσις* diurno denum tempore morbi Chronicci, ταῦτα παλιντροπα τοῦ πατέρος γένος uti & recensentur, *Varitis Libr. Epid.* locis, morbi certissimo denum die & tardius finiti. III. Pro materia morbose cuiusvis tum secretione & sequestratione: ut colligere est ex loco notatu dignissimo lib. de *Articul.* f. 4. f. m. 832, tum excretione quavis: sic ut τὸ κρίσις idem sit quod *εγκρίσις* excernere, v. gr. *Lib. 4. Epidem.* f. m. 113, τὸ *σεγκρίπτων* Crises facta per urinam. Conf. *Lib. de Læc. in Hom.* f. m. 48. &c. Quorum locorum sensum in unam summam conferens Hippocratis sectator, forte hanc posset exprimere aut similem definitionem, Galenica sane, quam passim adhuc

adhuc sequuntur, & pleniorem, & magis propriam, quod Crisis sit:

*Inicitatio & lucta naturae in morbo & contra morbum; qua superantibus naturae viribus, morbus aut salubriter finiatur, aut seleni levetur, plene vel ex parte secretâ & excretâ per congrua secernicula morbosa materia: vel e contrario, superante materia sive quantitate sive qualitate noxia, sic ut natura viribus impar eluctari non possit, morbus aut augeatur aut ipsa vita finiatur.*

## IL


Quæ definitio, me judice, plane est ad mentem Hippocratis. Qui humanæ naturæ salutarem potentiam, quam optimè agnovit, ubique prædicat; sicut tamen, ut sententiis dictione minutulis, at sensu gravissimis, eam intelligentibus potius subinnuat, quam plane edoceat. Ut Lib. VI. Epid. sect. 5. *φύσις* dicitur *νέατη ἵππος*. Natura, morborum medicus; quæ non solum upires lœc rūs, sed & (Lib. de Alimentis) *ἐκπίει τάχιστα τρόφιμα*, sufficit omnia omnibus. Hincque natura sponte facit ea, quæ ars consilio: Lib. I. de Diet. Medicina, inquit, quod affigit, abigit, & a quo quis agrotat tollens, sanum facit; at natura hac sua sponte (*αὐτομάτω τάχη*) novit. Et quidem usque eo natura *τὰ στοιχεῖα τούτα*, ea quæ convenienter facit (Lib. Epid. cit.) ut ars quid facere debeat, nisi naturæ indicio, non norit. Natura quippe est, (Lib. de Arte) quæ *stimulata & impulsa* (a causa morbifica) ostendit artis peritis, quæ facienda sunt. Hinc meritisima laus, Hippocrati quam tribuit Galenus: Hippocrates omnium, quos novimus, tum Medicorum, tum Philosophorum princeps, ut qui primus natura operanovit, hanc miratur & semper celebrat, justam nominans, solamque animalibus ad omnia satis esse dicit, ipsamque per se, non edocetam, (*αὐτὸς εἰδὼς, αὐτὸς διδάσκως*) omnia quæ opus sunt agere.

Lib. I. de  
Nat. Facult.

## III.

Juvat igitur, quoad fieri compendio potest, disquirere, qui hæc natura adeo concinna, adeo Saluti potens, ista *στοιχεῖα*, ex mente Hippocratis, det effectui, qui luctam contra morbum ineat, cäque debellet. Num forte gnara & metuens

Vitæ



Vitæ imminentis a morbo periculi? num ex aliqua rationali  
deliberatione, εν γνῶσεως, προαιγέσεως, διαροής, sive  
convenientia, secerenda puta & exerendæ materiæ morbi-  
ficæ apta organa conquerit ipsa, & eligit? Sic sentit Vir  
noster evo *Celebratissimus*; qui naturam hanc statuit  
esse ipsam animam hominis rationalem. Quam paradoxam  
sententiam, quo est ingenio præpoilenti & admirando, sic con-  
cinnavit, ornavit, & numerosis eodem idemtidem argumento  
publicatis diatribis sic inculcavit, ut natus sit passim non so-  
lum admiratores & sectatores, sed &, contra secus sententes,  
pugnaces & paulo ferociores adfertores. Ipfam hanc senten-  
tiam a radicibus subtiliter limare, meum nunc non est, nec  
erit unquam committi cum illis talibus. Ceterum, quidquid  
deum de illa sententia fiat, ego verecunde, at ingenue, quod  
licet illorum pace & bona cum gratia, profiteor & edico, eam  
esse præter immo contra mentem Hippocratis. Ut enim is  
præcipit, (*Lib. Epidem. loc. cit.*) Natura non solum αὐται-  
δευτροὶ καὶ μάθουσα τὰ δεόντα ποίει, non edoτα, abs-  
que disciplina, convenientia facit. Quod quidem, ut repé-  
rio, concedunt & largiuntur ultro illi ipsi, qui naturæ γνῶσιν  
& actionem ex ratione deliberatam tribuunt; negant vero  
hanc, quam statuunt, rationem per ratiocinationem, (ut lo-  
quuntur) vel per ideas adventitias accedere, veluti forinsecus;  
sed esse innatam, & animæ infixam, cœi habitum infusum.  
Atque adeo animam rationalem, cum (ut volunt) perfungi-  
tur operationibus Vitalibus, rationaliter quidem agere, &  
consilio, sed tamen sine ratiocinatione, sine conscientia peragere,  
quidquid agit; hincque hæc tenus non edoτan, sine disciplina &c.  
Quam equidein sententiam, suis relictam amatoribus & vindici-  
bus, non urgeo. Sed eodem sermonis contextu porro Hip-  
pocrates: ἀευπίσκηι inquit ή Φύσις αὐτῇ ἔστη τὰς ἐφό-  
δες τῶν εἰς διαροής, Naturæ ipsa sibi per se, non ex consilio  
emotiones ad actiones obeundas invenit. Unde sane, quidquid

B triceris,

triceris, non aliis nisi omnino alienus ab illa sententia sensus constare potest. Διάνοια enim quidquid a ratione procedit, intelligentiam, consilium, voluntatem, significat; idem quod προαισθέτης; & ἐν διάνοιας agere dicitur homo, in his quæ voluntate, consilio, quasi dicas præelectione, agit. So daß Er aus eigener Willkür wehren kan / ob / und wie Er wolle / oder nicht wolle. Immo διάνοια ipsa mens, s. anima rationalis dicitur. Hinc scite ad hunc locum Galenus, & liquido pronunciat: *Itinera, inquit, naturæ ēphodæ appellavit, perinde ac si vias aut impetus ad agendum dixisset naturales, qua statim ortis animalibus insunt, quibusque (necessario, ex causis Physicis) id agunt (& non possunt non agere) ad quod agendum nata & conformata sunt; non uti nos, prius mente volventes & prius eligentes facimus.* Illo ipso, utique minime ambiguo loco, *Justus Lipsius* olim inductus est, ut numeraverit Hippocratem inter eos, qui *brutam* aliquam & *sine sensu Naturam* statuebant, *omnia gignentem ac conservantem*. Quo ipso tamen Optimo artis nostræ Auctori insignem facit injuriam. Quippe cuiuspius sensus de *Natura*, ut scholastici loquuntur, *naturante*, seu potius de *DEO*, *Creatore & Statore* rerum omnium, Medicis est perspectus, & a non uno vindicatus. Sie ut mirari subeat, *tantum Virum* ante non adverteisse, quam dicam hanc impingeret Hippocrati, cum de *Natura universalis* hoc loco necurquam agere, sed solum de *natura humana*, immo *corporis humani*.

Introduct.  
ad Physiolog.  
Stoic. Lib. I.  
Cap. V.

## IV.

Quam quidem, morbos expugnarem & sanitatem praefrantem naturam humanam, lubentissime nos cum Hippocrate oīn ἐν διάνοιας προαισθέτης agere profitemur; quin immo diserte statuimus esse eam *brutam*, omnisque *rationis experientem*: utpote *rem materialem*, nullisque nisi quæ materiæ s. corpori insunt attributis pollentem. Nihilo minus tamen pia mente agnoscimus, hanc ipsam naturam, ad ideam sive normam optimæ rationis, qua ipsa destituitur, & accommodate ad finem (sui ipsius conservationem) quem ipsa nec nosse, nedum.

nedum intendere potest, esse constitutam infinita Creatoris  
 Sapientia & Bonitate; Sicque eam, multo sane certius & effi-  
 cacious, quam potis foret imbellis anima, (si, quod illi volunt,  
 esset motuum vitalium auctor atque rectrix) τὰ δέοντα &  
 posse, & revera agere, quamvis τῶν δεοντῶν prorsus ignara;  
 Perinde atque automata, quæ non pro suo, quod nullum esse  
 potest, sed artificis moventur consilio: Sicque mota, apte &  
 expedite hoc agunt, ad quod sunt ab artifice constituta. Si  
 igitur hanc naturam humanam dixeris artem Creatoris Divi-  
 nam, in structura corporis humani ad miraculum usque con-  
 cinha, suisque usibus apta, non peccaveris. Si vero antiquam  
 sententiam malueris amplecti *Aretai*, *Sextularis Hippocratis*  
*gennini & omnium optimi*, non procul aberis aut a Veritate,  
 aut a mente Hippocratis. Quid vero ille? Loco sane digno, qui  
 non fuisset a nuperis scriptoribus prætervisus, ἡ Φύσις, inquit, Lib. II. Cap.  
 ωᾶσι σημαῖνει, καὶ ὑγρῶ, καὶ τανόματι, καὶ σερπετοῖ, καὶ III. de Caus.  
 τῆς τούτων ἐνταξιη, καὶ συμμετριῃ, ἐς ζῷη διέτει τὸν αὐθεω-  
 cut. τῶν, *Natura omnibus adest* (veluti nutu imperat) *sanguini*,  
*spiritui*, *membris*; atque horum inter se coordinatione atque  
*commensu* *vitam homini prorogat*. Reclius vero senferis, si  
 ipsam hanc commensurationem (*συμμετριᾳ*) partium cor-  
 poris humani, fluidarum & solidarum, atque motuum, qui hinc  
 cipientur, vitalium coordinationem (*ἐνταξιαν*) Naturam voca-  
 veris. Sic enim subducto *Phantasmate*, quod tot seculorum  
 ingenia ludificatum est, sub falsa idea alicujus praefidis aut re-  
 cloris functionum corporis, primum *calidū innati*, mox *spiritus*  
*vitalis*, *animalis* &c. hinc *Archei*, denique ipsius *anima*, po-  
 tentiis seu *viribus motricibus mechanicis instructa* &c. ea de  
 natura humana statues, quæ demonstrari, quæ sentiri, videri,  
 ipsisque adeo manibus palpari possunt; nunquam utique ge-  
 nuino Medico Physico sine analoge mentis admirantis, Vene-  
 rantis, ad prantis Sapientiam & Bonitatem Numinis infinitam,  
 inexhaustam, ineffabilem,

## V.

Hujus nostræ naturæ operationes, ἐφόδες, organa,  
quibus & sanitatem præstat, & morborum molitur Crises,  
diffusori doctrina exponere, ut est in promtu, sic utique  
difficillimum, eam compendio complecti luculento: cum vix  
evitanda brevitati sit obscuritas. Summatim igitur solum id,  
quod scopo nostro inservit, suppono, ejusque ulteriore demonstrationem in me recipio: videlicet sanitatem conservari,  
& morbos Crisēs expugnari, per eadem media, eadem organa,  
varie solum pro rei exigentia affecta & modificata. Et qui-  
dem potissimum sanitatem præstari, dum iugi & æquabili per par-  
tes solidas fluidarum motu, earundem integra servatur fluidi-  
tas, mixtio & temperies; recrementa, quæ huic mixtioni &  
temperiei inconvenientia sunt, eodem motu aut subiguntur,  
aut exsoluta & evoluta, ne noxam aut vim teneræ partium tex-  
ture inferre queant, mature auferuntur: hoc est, secernuntur  
& prorsus e corpore excernuntur, per aptissime  
huic fini a Divino Plaste constituta secernecula & excer-  
necula. Et quidem illa recrementa, in quæ & alimenta sua  
sponte facessunt, & humores vitales exolescunt, ut sunt mole  
& consistentia varia & diversa, sic habent earum quæque, ut  
indubitat experimentis Physiologicis constat, sua peculiaria  
secernecula, & velut emunctoria. *Salina oleosa, subtiliora, vo-*  
*tarilia, eaque tenerrime mobilia,* & hinc ad interendam σῆψιν  
*f. colligationem putredinosam* prona, cum aquo-Vapidis, re-  
cepta glandulis & poris cutis, iisdemque secreta, excernuntur  
ex universo corporis habitu, transpiratione & sudore: *Salsa*  
*crassiora, magis consistentia & fixa, acido-salsa, similia omnino*  
*fali ammoniaco, acria, corrodentia, dissolventia;* per renes po-  
tissimum & meatus urinæ. *Pinguia-salsa, spissula, quasi*  
*sulphurea, acria, astuosa, adurentia (nevrua)* per hepar  
& meatus bilis, in eamalem intestinorum effunduntur, una  
cum scybalis deponenda. *Mucida, viscosa, hisque inherentia*  
*terrea, aut quæcumque alia tenaci coailiti in piritutam spissiven-*  
*zia, per tonsillas non solum & reliquias fancium glandulas, sed*  
& in-

& integrum tractum membrane pituitarie, & intestinorum volumina, secernuntur & excernuntur. Ab his igitur, & quibuscumque aliis his similibus incrementis depurata humorum massa, & in Lympham roscidam, lubricam, tenerimamque (quæ decuplum & amplius universi sanguinis conficit) subiecta, dum partibus solidis, eadem motuum Vitalium coordinatione aquabiliter suffunditur, & pro rata singulis portione distribuitur, hæ ipsæ partes solidæ nutrimentum ad amissum conveniens capiunt, coque in decenti structura & conformatio[n]e conservantur integræ. Quæ quidem corporis universi integritas, & aptitudo ad obeundas, quibus destinatum est, functiones, quin ipsa sit sanitas, neminem fore arbitror, qui dubitaverit.

Et quidem istæ secretiones & excretiones recrementorum quasi ordiniorum, per aptissime singulis convenientia secericula, nutritio item, cunctaque aliæ corporis sani functiones, solenni & aquabili tenore fiunt coordinatorum motuum: adeoque vigore ut ordinario, sic tranquille procedunt. Morborum expugnatio non item: sed cum intenso plus minus illorum motuum impetu; quæna morbisca materia & ipsa cetera atque concitat, quoque & ipsa secretioni est aptanda & excernenda. Mira sane Divini Auctoris Naturæ, hominum salutis ubique consulentes, providentia. Enim vero omnes, quotquot sunt morborum & morboscarum cauſarum, quæ lucta critica expugnantur, species, singulatim exsequi, materia Voluminis est, non dissertationis Academicæ. Ergo alii occasio[n]i relicta tractatione speciali, dicamus summarum, quantum poscit instituti nostri ratio, de illa, quæ & omnium frequensissime & tunc sit, ubi materia morbi universæ sanguinis massa est sufficiens: quod in plerisque morbis, omnis utique generis febribus contingere, extra controversiam est. Si igitur materia morbosca ea sit, quæcumque denum conditio, ut aut mole, aut figura, aut qualitate neque congruat cum mixtione & temperie humorum sanorum: neque convenientat cum meatibus, di-

## VI.

ametris ordinariorum illorum secerniculorum; atque adeo talis sit, quæ neque admitti intra partium vitalium interiora tuto possit, nec tamen possit ordinaria naturæ vi & energia exterminari; unica sane pernicie certe imminentis aversio est, præcludere talis materiae intimoerem aditum, eademque simul actione particulas inquinatas a sanis divellere, & divulgas sic conterere & subigere, ut formam nanciscantur reverentis ordinarii similem, aut saltem convenientem meatibus emundiorum ordinariorum, quibus ab humoribus sanis secreta exterminentur. Fiunt & haec ad amissim, si natura suis Viribus præpollet. Hoc est, quando fibre motrices, ex quibus, ceu originalibus, primis, & præcipuis staminibus, omnes partes Vitales, & quidem serie singulis aptissima (ut docet subtilior nostræ ætatis Anatomæ) constructæ sunt, nativo tenore, seu iusta tensione, èrvovia, & mobilitate pollut. Quam èrvovia & mobilitatem (ejus ignarâ animâ, eamque præstare minime valente) habent ab actu motis fluidi: utpote jugular & harmonice influente liquore nervo, & interfluente sanguine; quibus animata fibre motrices, dum in eas illiditur materia morbifica, illarum texturæ & conformatio inconveniens, instar totidem fidicularum, in unam actionem homotonice & aequaliter conspirantium, concutiuntur illæ ipse fibre undiquaque, & vibratæ in renisum contra incongruam, qua tanguntur & feriuntur, materiam, intenduntur; non promiscue tumultuarium, non frivolum, sed exacte, ad Leges Motus repercuSSIONis respondentem & convenientem materiae a qua concutiuntur. Et quidem his fibris motricibus cum sit una origo, ex cerebro nempe ejusque meningibus: coque & una omnium connexio, & una adeo per universum corpus (animadvertente vel ipso Hippocrate) confiratio & consensio; propterea fieri aliter non potest, quin omnia Viscera, omnes partes vitales, in eundem intendantur renisum: adæquatum tamen singularum partium strukturæ & conformatio, & omnino convenientem excludendæ materiæ

materiæ morbiſicæ. Hinc & cordis & pulsus arteriarum intensio atque incitatio; hinc universæ sanguinis massæ, una cum inherente materia morbiſica, velocior & impetuofior motus atque impulsus in partes ſolidas, illa tensione rigidiusculas; Puta meatus patentiores; intimiores enim, hac intenſione conſtricti, non poſſunt non ſic claudi, ut ſalubriter excludatur materiæ morboſe aditus. Quo tali ad fibras rigidiores impulſu & alliſu, non poſt non fieri valida contruſi ſanguinis preſſio; ex hac preſſione inſignis attritus: ex hoc attritu & confrictu particularum ſanguiniſ falino-ſulphurearum, auſtior calor; hinc totius corporis exſluſatio, hinc inquietudo, ſqualor, ſitiſ, omniaque criticam Luctam comitantia ſymptomata; in quibusvis Vulgatis Medicinæ ſystematibus videnda: non tamen niſi hac, ex ipſa re deſumta, hypothefi clare exponenda. Quæ Lucta, quæ ſymptomata uſque & uſque glifeendo, tam diu urgent, donec hæc preſſione, hoc confrictu atque attritu evoluta, diſerpta & extirpa materia morbiſica, & diluta ſero affluentiore (quod urgente ſiti potu ſuggeritur, & in quod tandem eodem hoc attritu maſſa ſanguiniſ colluſeſit) comode emunctoria convenientia ſubire, hiſque ſecerni & excerni queat.

Etenim vegetam hanc naturæ Luctam, & Vere Criticam, inſequitur prompte excretoſis (excretio) Critica: per large emanantes aut ſudores, aut diarhoeas varias, ſerofas, bilioſas, mucoſas, aut urinam variis onuſtam contentis, aut ſalivationem &c. &c. pro varia & ipſius morboſi apparatus & inſurgentis Criticæ Luctæ conditione; ex ſpeciali morbi cujuſ viſiſtoria innotefcente, nec generali complexu, coque nec noſtro iſtituto, determinanda. Qua excretione, atque adeo Completa Crisi defuncta natura, redindegratur humorum maſſæ, ſic depurata & veluti defecata, priſtina crasis & temperies: qua ordinarie & blonde affecta fibre motrices, redeunt ex lucta ad ordinariam & tranquillam actionem; ſieque omnibus numeris plena reſtituitur ſanitas. Aniſadvertistendus tamen hic

hic ἦς ἐν παρόδῳ communis fere recentiorum scriptorum error, putantium, omnino ad Criticam ἔπιστην requiri, ea ut siat subito & repentine; sic ut omnis & inchoata & finita sit intra paucularum horarum spatium. Ad quod credendum inducti sunt Galenica, quam sequuntur, definitione, male intellecta: puta, quod *Crisis* sit *subita morbi mutatio* &c. Tò *subitum* enim in hac Criseos definitione, non utique hanc, quam sibi imaginantur, uno quasi ictu sive torrente sientem morbi mutationem denotat; sed solum opponitur *lenta*, paullatim evenienti, & sàpe in aliquot hebdomadas *protracta*, morborum chronicorum *solutioni*, sine ulla sensibili *excretione*; quam idcirco proprie λύσιν appellant antiqui Auctores. Apud quos sane nusquam legitur talis, præcipitanter consummata, evacuatio critica; nisi forte vomitum excipias: nedum adeo subita, ut illi concipiunt, morbi solutio. Quin immo Gale-

**L**ib. 2. de D. nus diserte edicit, *Criticam excretionem* non raro in duos tres  
D. c. s. & 2<sup>a</sup> dies extrahit: sic, ut v.gr. ea inchoans die septimo, continuet per  
octavum, & demum nono finiatur. Et ipse Hippocrates

(observante Galeno) idem videtur indicare, cum passim Libb.  
Epidd. memorat, morbum fuisse judicatum non die, sed circa  
diem, decimum quartum, vice secundum &c. extra dicta videlicet ultra  
unius diei spatium excretione. Quare futilis est corumdem novel-  
lorum scriptorum caussario, multorumque (sine tropo dico) capi-  
tialium errorum conciliatrix: *Sub Climate nostro, frigido, ge-  
nuinas excretiones & solutiones morborum Criticas, esse oppi-  
do raras*: tales nimurum, quas sibi frivole imaginantur, uno  
impetu & inchoatas & patratas, concedo ultrro. Veras autem  
usque adeo raras esse, pernego: quæ utique pulcherrime &  
sub nostro, & forte vel sub hyperboreo Climate, procedunt,  
& tantum non omni die, si modo attendatur cum oculis ani-  
mus, observantur. Atque adeo sunt ad salutem necessariae,  
ut ausim adfeverare ego, confirmatus ab experientia, nullum  
morbum vere acutum unquam finiri plene & tuio, sine aliqua  
vera & sensibili evacuatione *Critica*. Quin & Medicis genuinis,

non

non ex mustaceis talium scriptorum institutionibus, sed ex natura contemplatione sapientibus, compertum est, vel in ipsis morbis Chronicis, nullam fieri evacuationem materiae morbi, massæ humorum suffusæ, nullam adeo salutarem excretionem, nisi præ iis motibus vitalibus (Medici consiliis & auxiliis promovendis) illa materia excernenda fuerit evoluta & secreta; hoc est, ut cum Hippocrate loquamur, *mobilis facta, & meatibus*, per quos est secernenda & excernenda, *apiata*. Atque adeo, nisi & in ipsis morbis Chronicis præsto sit hæc *Natura vera Crisis*, medicamentis evacuantibus intempestive datis, qualcumque demuin ea sint, frustra turbatur motuum vitalium harmonia: & auferuntur, non sine futura gravi noxa, succi fluidiores & corpori utiles, hic bilis, illic Lympha &c. verbo, non purgatur corpus affectum, sed urgetur frivole, & geminato malo, profernitur. Tanta est usque quaque Criseos & eccliseos critica ad salutem necessitas.

Ab illa saluberrima Crisis quæ fit per meram evacuationem, multum distat, proxime tamen abest *altera species*, eaque *anticipata quasi alea*. Videlicet, cum pari motuum vitalium synergia, materia morbifica prorsus exterminari non potuit: sed saltē eo usque coerceri & compesci, ut extrusa quidem e Vitalium viscerum penetralibus, at non plene extirita, verum aliis humoribus sanis obvoluta & intricata, una cum his compellatur, aut ad emunctoria (fatiscente corundem tonico renisu) aut ad partes a Vitalibus remotiores alias, quibus intersperfa hæreat. Ubi quidem parit aut varii generis *abscessus*, ut *bubones*, *parorides* &c. *papulas* item *sappurascentes*, quales in primis sunt *Varioles*; aut *Exanthemata* (efflorescentia) purpurea, *Livescentia*, ut in sic dictis *morbillis*, *petechis*, *purpura* &c. Quo rite & ordine materiae morbifica secessu ex profundo corporis, (ut scire alicubi Hippocrates) levatur quidem morbus, sed in tuto nondum est ægroti salus: donec, jupiter continuante motuum vitalium actione, hæc *Exanthemata*

## VIII.

(eruptiones) veluti coctione maturescant: hoc est, id, quod habent, inquinamentum, massam sanguinis denuo facile subitum & retrocessurum, contemperatione sanorum humorum, & hinc sensim facta justa subactione, corruptaque tandem portionis ablatione tollatur. Quod quidem sic dicta *abscessio-*  
*nis & secessionis* negotium non æque est expeditum, neque æque securum (testantibus vel annuis Libitine rationibus) uti est Criseos per meram & absolutam excretionem.

## IX.

Sin vero fibræ motrices visceris unius aut plurium, *he-*  
*patis puta, pulmonis, lienis &c.* rerum non naturalium præ-  
gressio abusu, sive *doloria* qualicunque alia, usque adeo fuerint infirmatae & velut enervatae, ut, fatiscente intensione & renixu tonico, non possint in materiae morbifica excussionem  
æque valentem cum reliquis Visceribus & partibus firmioribus  
committi: non solum *inequaliter fluctuans, nutans, titubans* fit *Lucta decretoria*: sed & ipsa materia morbifica, reliquarum partium vegetiorum intensione excusla, in languentia isthæ viscera intruditur & compellitur. Unde fere duplicitis generis  
pernicies ægrotum manet: alia ubi *lenta*, & paullatim eveniente,  
*stagnatione & congectione* materiae impulse, tumores sunt  
ejus indolis, qui, aut sensim ulterius corruptâ materiâ contentâ, in *abscessis* vel potius *exulcerationes* abeunt; aut ablate  
portione humoris stagnantis liquidiore & fluidiore, in *scirrhos*  
indurantur; unde posthac prioris morbi conditio proflus in  
pejus mutatur; (utrum εἴριετον rite cum antiquis vociis, an  
μετάπτωσιν? certent grammatici: miseris sane parum prod-  
est) sic quidem ut vel inducta febre *Lenta*, hinc *hebetiva*, &  
*tabe*; vel subnata *cachexia*, & tandem coorto *hydropo* (ob tu-  
morem scirrhosum intercepta remeante lymphâ, hincque disrup-  
tis Vasis effusâ) *immedicabilis*, ægrotus morti cedat; utrobi-  
que lento gradu: Aut e contrario præcipiti, quæ altera species  
est functæ translationis materiae morbificæ, cum *repentino*  
*influxu*, & hinc *infarctu*, obruta languentia viscera, veluti  
suffo-

suffocantur: vel post insolubilem *inflammationem, gangrena & phacelo affecta*, subita morte Vita suam faciunt,

Hæc est, inde ab antiquissimis temporibus observatione constanti comperta, nequitiam tamen usque adhuc sine tricis perplexis exposita, naturæ contra morbum Lucta decretoria: ejusque varius (ut erat in definitione propositum) exitus, prout varie partium colluctantium alterutra præpolleat. Quibus extricandis mentem, puto, Hippocratis sumus consecuti: num & ipsam veritatem, ut quidem confidimus, in atiologia sumus assecuti? æqui arbitri judicent; equidem in rebus, quod dicitur, facti, ipsa rerum testimonia quosvis, etiam iniquos, aut convincunt, aut confundunt. Manet ergo & usque stabit inconclusa hæc Galeni sententia: *Neminem servari, nisi natura morbum superaverit: neminem mori, nisi natura vieta fuerit, morbusque ea superior evaserit.* Porro est & erit usque propria Arti Medica, Naturam imitant, sequenti, hæc verissima laus: nequidquam ringentibus mercis Chymistica nundinatoribus vanidicis, aut his nimium credulis fufurronibus, in artem salutarem maligne contumeliosis &c. ea inquam Laus, quam Naturæ Consultissimus tribuit CRATO: *Natura duce, arte, non medicamentorum robore, Victoriam in morbis recte & unice tuto obtineri.* Naturæ enim sola, ut repetamus Verissimum HIPPOCRATIS effatum, τὰς γένες ορίει, ἡ Epist. ad Zwinger, ap. Scholtz, f. m. 238, ἔργα τὰ τάχα τάσι. Atque hæc (sunt verba prudenterissimi nostri seculi Medicis, SYDE NH AMI) omnia peragit natura, paucissimis simplicissimisque adjuta remediorum formulis, alicubi etiam prorsus nullis; Sed, quod merito addimus nos, unice adissentis Medici consilio: imperantis aut convenientem morbo & ægroti viribus abstinentiam, aut moderantis regimen vietas, potus, caloris decubitus &c. arteque interim sagaci exspectantis & solerter captantis validiorum remediiorum, si ea poscat usus, εὐαισχίον s. tempus opportunum. Quod sane, ut habetur omnium rerum primum, sic est in methodo medendi potissimum arcanum; usque adeo, ut, sine hoc

X.

Lib. de Tot.  
Morb. temp.  
Cap. V.

C 2

fit,

fit, quodcumque demum & utcumque jactatum arcanum, quodcumque validum remedium, medicinæ nomine proflus sit indignum immo (ut scitissime Celsus) summa in eo pernicies sit, quod auxiliis causa fuit inventum, si temere & inopportune adhibeatur.

## XL.

Est igitur genuini Medici, arte salutari tuto opitulaturi, hæc portissima, si non unica provincia, ut Naturam, scitissime coordinatorum motuum vitalium systema, intimius perlustraret: ejus ἐφόδες, molimina, impetus in morbum observet: methodos & vias salutarium secretionum & excretionum, quibus eliminatur morbi materia, consecetur: easque, ut & omnem naturæ actionem, suis & auxiliis & consiliis sic imitetur, sic adjuvet, ut si ipsa *Natura*, suis usq; viribus ad τὰ δέσματα sufficiat, haec tenus provisorem & consiliarium agat, ut proceret duntaxat ea & expediter, quæ ad sustentationem opus sunt: & prospiciat, ne quo modo res non naturales, & extrinsecus adventientes, impedimentum obfundant. Sin vero *natura*, materiæ morbificæ impetu concitata, nimium forte, veluti suis abusa viribus, ferociat & tumultuerat, id agat, ut aut *materie contempnatione*, dilutione &c. aut nimiorum motuum commoderatione per emollientia, demulcentia, pectoralia, anodynæ &c. tempestive mitigetur & cohabeatur. Aut si e contrario, *natura motus*, moli materiæ velut impares, sint remissiores, languidores; hos ipsos motus artis synergia, medicamentis cardiacis, nervinis, tonicis, Naturali temperamento accommodis, incitat, augeat; aut molem redundantis materiæ morbificæ, si quidem, ea prius mobilis facta & preparata fuerit, & meatus secerniculorum expediti, auferat, vel paullatim quasi carpendo per ἐπιχειρσιν, διαφέρσιν, vel quo natura vergit, educendo & effatim evacuando per ἴδρωσιν, διεργήσιν, καθάρσιν, ἔρετην &c. ubi & medicamentis validioribus; ipsisque adeo drastis, manu Medici, hoc est opportune & convenienter, datis, mitis erit aut utique tuta operatio. Sin denique *motus naturæ*

a via

*a via aberrent, & sic deflecent, ut morbi materiam exsolutam & extritam ad locanom sua, sed incongrua & intuta convehant, naturae consulens Medicus hos ipsos motus, mature admotis epipasticis, Vesicatoriis, aliisque (scite Bellino sic dicitis) stimulis Medicis, conetur avertere & deridere: hincque ad emuntiorum naturalium meatus, fotu, enematis, frictionibus, balneis &c, emolliitos, deterlos, apertos corrivare atque deducere.* Hæc summatim sunt Naturæ motibus consulentis Artis Medicæ conamina; quæ in salutem, cui parantur, cedunt, cum & ipsa Natura, Divini Auctoris nutu, remediorum energiam secundet, &, quod dicitur, in actum deducat. Sin vero succubens in solidum Natura defecerit, actum est, &, *Afferat ipse licet Sacras Epidaeus herbas, conclamatum est.* Velis nolis, hæc sacra aliter non constant. Nam præter hanc Naturæ Medicinam, nulla mortalibus est, & quæ contra hanc est, rebellans Divino ordini, ipsique adeo D E O, Gigantomachia est.

*Et quidem haec tenus in solido est, fundata ab Hippocrate Naturæ Medicina; usque adeo ut nullus tot seculis existenter Medicus genuinus, qui eam in dubium vocare, nedum negare sustinuerit; nam nemo qui sapit, puto, adnumeraverit Medicis, eos tales, qui illam ne quidem agnoverunt. Utinam pariter liqueret de statis illis & quasi solennibus diebus, quorum circuitu determinare & circumscribere, omnem luctantis Naturæ processum, & eventum veluti decretorium, conatus est ipse Hippocrates; eorumque dierum ratio, aut æque solido fundamento fuisse constituta; aut, hoc deficiente, intimius inspecta fuissent commenta & trications, quibus hi fasti nefasti dies, ab ultima & Hippocrati proxima antiquitate contemti, hinc deniu naeti præscriptionis velut Auctoritatem, ad nostrum ævum fuerunt transmissi; ut vel tandem eorum dierum superstitione nugari desinere tur. Inquisitionem hanc cum hucusque refugerint ii, quibus competebat, nos, cen alteram nostræ diatribæ partem, suscipiemus:*

C 3

&amp; qui-

## XII.

& quidem sic exquisituri omnem usque a stirpe auctoritatem,  
ut, fallens gravi specie, denudata & velut expōsita conspectui  
apparet inanitas.

## XIII.

Lib. I. Epi-  
dem.

Ipse Hippocrates, ut reperio universaliter enunciat:  
*Crisis, si sit extra prescriptos dies, recidivas fore significat, aut  
fuerit sane perniciosa.* Unde colligit Galenus, illorum præ-  
scriptorum dierum tantam esse ad salutarem Crisisin, necessita-  
tem, ut, quamvis reliquæ cunctæ, bona aliâs futura Criseos,  
sive notæ, sive circumstantiæ, sive caussæ concurrant, nihilo-  
minus ramen die non Critico contingens Crisis, secura non sit,  
sed infida. Hinc plane Aphoristice: *Fides, inquit, exquisita  
Criseos, a die signillatur & obsignature.* Et propterea illos sa-  
lulares & albos dies, quos Græci κριτικοὶ & νοσητοὶ, in-  
terpretes decretorios, judiciales appellant: eo quod sint, ut  
frigide argutantur *Claudius & alii, arbitri pugna nature.*

## XIV.

Cem igitur istorum statutorum dierum tam certa per-  
hibeat efficacia: morborumque extra eos finitorum tam cer-  
ta pernicies: certus utique & definitus eorum oppoteret esse  
canon, & calculus, seu liquida eos computandi ratio: hæcne  
ante omnia certa & constante observatione, atque hinc nata  
firma doctrina fuissent constituenda & promulganda. Equi-  
dem Systematum nostrorum compilatores, tantum non ad u-  
num omnes, aut in Lectione Hippocratis & Galeni minus  
versati, aut, quod in plerisque appetet, nodos astu dissimulan-  
tes, ceu res omnis illorum Patrum industria & auctoritate du-  
dum esset confecta & stabilita, dies illos Criticos, sine ulla hæ-  
sitatione, planissime enumerant. Non itidem ipse Hippocra-  
tes. Qui sane, secus ac illi ipsi aut credunt, aut sibi credi vo-  
lunt, mire fluctuat, & est in recensendis his diebus fastis ne-  
fastis, usque adeo obscurus, ambiguus, incertus, quin immo ipse  
sibi adeo inconveniens, ut sane vel sagacissimi interpretes non  
reperiant,

*Quo teneant vultus mutantem Protea nodo.*

*Provoco,*

Provoco, ne injurius censear in eum talem, qui fallere & falli nescius in hunc usque diem prædicatur, ad ipsa Hippocratis decreta: & quidem desumpta ex iis Libris, qui habentur consensu omnium genuini. *Libro Epidem. I. sect. 3. Dicrum decretiorum & parium & imparium recensetur numerus prorsus perplexus & indiscretus:* nec additur, an & qui illorum dicrum, praeter ceteris, sint ad salutem vel perniciem ægroti magis efficaces & præpollentes: *circuitum,* inquit, *qui diebus paribus judicant,* primus est decretorius quartus, sextus, octavus, decimus, *DECIMUS QUARTUS,* vigesimus octavus, trigesimus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, centesimus. *Circuitum autem,* qui diebus imparibus judicant, primus est tertius, quintus, septimus, nonus, decimus septimus, primus & vigesimus, septimus & vigesimus, trigesimus primus. Alibi vero hanc circuituum congeriem aut ipse nihil morans, aut saltem non animadvertens, solis diebus imparibus (*περιστοις*) vim atque efficaciam criticam tribuit; camque primum velut indifferentem, sive ad salutem, sive ad perniciem: ut cum *Lib. de Rat. Vict. in M. A.* inquit, *maxime vero numerus impar est observandus; nempe quod hi dies (impares) magnam in hanc vel illam partem inclinationem efficiant.* Hinc & dies impares, ceu unice Criticos, diebus paribus non Criticis opponit, &, quod dicitur, contradistinguit: *Si quidem Lib. Eod. f. paribus diebus accesserint (delirium & convulso) melius; juxta m. qui, indicatoriis vero perniciosum.* Quin immo tandem, hanc universalem edicit sententiam: *Fabricanti, nisi diebus imparibus adimiserit Febris, reveri solet.* Sic ut ex his, & pluribus aliis phot. *¶.* Verum enim vero his decretis si conferantur, qua *Lib. 3. Prognost. §. I.* enunciatur non minus aphoristice & universaliter, quanta non denuo appetat diversitas? immo adversa fronte pugnans sententia? Heic enim sine respectu ad dies impares, dicrum Critico-

Criticorum series constituitur per *quaterniones & hebdomadas*; sic ut inter illos referatur, prater quartum, dies decimus quartus, & mira sane ratione, nec cum quaternione constante, vicesimus; quos quidem, ut communis hominum sensus, sic ipse Hippocrates, paribus diebus, ut modo vidimus, adnumerat: *At vero, inquit, febres iudicantur eisdem numero diebus, quibus sit ut super sint homines aut moriantur.* Etenim febres mitissime & cum signis conjuncte tutissimis, quarto die cessant. Ergo primum nature & morbi certamen sic definitur. Alterum vero ad septimum diem producitur. Tertium vero undecimo definitur die. Quartum ad decimum quartum producitur. Quintum vero in decimum septimum definit. Sextum autem ad vigesimum. Conf. Lib. 2. Aph. 26. & Libr. de *Judicat.*

## XVI.

Habemus igitur de diebus Criticis triplicem, eamque omnino diversam, & contrariam Hippocratis sententiam: unde apparere, puto, plane potest, ut incerti, ut Vertumnis inquis nati sint dies critici. Nunc, eos ut Galenus frustra tollat, ornet, & ceu male consistentes subfulciat, videendum est. Sic enim, remoto veluti sipario, nugatoria futilitas sensim fieri perspectior. Evidem, ut reperio, agnoscit ipse Galenus esse illa Hippocratis decreta ambigua, incerta, dissidentia, & inter se pugnantia; hinc ea ut componat & conciliet, indidemque consistentem doctrinam extricet, mire fatagit &

Lib. de D.D., æstuat. Primum, ut ipse fatetur, conjecturat, Hippocra-  
c. 3. tem, dum adhuc incertas opiniones experimentis explora-  
ret, nec universalem hinc sententiam auderet pronunciare,  
» *Libro Epidemicorum loc. cit. multos promiscue & indiscretæ*  
» *dies, decretorios & intercedentes, quos vocat, in unum*  
» *concessisse, quos deinde, confirmatior scilicet ab experien-*  
» *tia, circumcidet, & in justum ordinem redigeret: hocque*  
» *demum fecisse Libris Prognosticorum & Aphorismorum.* »  
» Evidem hæc Galeni conjectura non est de nihilo. At vero,  
dum elevat auctoritatem istorum *Librorum Epidemiarum*, est  
sane

sane, ut cum Comico festivo loquar, *nania soricina confessor;*  
nam suo indicio prodit universæ doctrinæ, tanto molimine struen-  
dæ, infirmitatem. Etenim ex illis ipsis *Libris Epidem.* illisque  
solis, cum experientiâ Hippocratis conatur stabilire dierum Cri-  
ticorum rationem, ipse Galenus omnem sumit probationem, &  
auctoritatis præscriptionem. Hoc est, quod una manu struit,  
altera ipse diruit; &, quod non minus vitiōsum est, tantus Ma-  
gister ex privatis aliquot observationibus, neque iis adeo multis,  
neque (ut infra demonstrabitur) perpetuis & usque constanti-  
bus, sed omnino variantibus, quas inter fluctuans Hippocrates,  
definiti ipse nihil vel potuit, vel, quo fuit candore, voluit, Ga-  
lenus universalem & firmum dierum Criticorum canonem exscul-  
pere & constituere ausus est.

Perfunctus hac sua conjectura acuta Galenus, & ani-  
madvertens diversa & contraria Hippocratis decreta constare  
aliter non posse, ex cogitatis miris *Crisium* & dierum *Criticorum*  
distinctionibus, quibus, ut solet sepius obfusis tenebris,  
ne capiatur cayet, tandem confitetur & causatur, posse quidem  
*Crises* omnibus diebus accidere, sed neque pares numero, ne-<sup>“Lib. cit. c. 2.”</sup>  
que æquali fide; hoc est, alias bonas & salutares esse, alias  
malas seu funestas; adhac quasdam cum pluribus & difficili-  
bus symptomatibus, quasdam ab initio statim tuto invadere;  
tum in hoc plurimum differre, quod sint aliae obscuræ, incom-  
pletæ, deficiētes, aliae e contrario manifestæ & perfectæ;  
denique fieri alias, non nisi indicatas certis & statutis diebus,  
alias repente & ex improviso, sic ut non solum artis medicae  
ignari, sed & exercitatissimi Medici eas instantes præscire non  
possint. Hinc ut *Crisium*, sic & dierum *Criticorum triplicem*<sup>“Lib. cit. c. 3.”</sup>  
constituit ordinem: ita ut sint alii dignitate & potentia præstan-<sup>“& c. 5.”</sup> & <sup>“Lib.</sup>  
tiores, morbum & frequentissime & perfecte & salubriter fi-<sup>“2. c. 6.”</sup>  
nientes, propriè & nūgiōs *Criticis*; alii ad salutarem & fune-  
stam, absolutam item vel imperfectam morbi solutionem indiffe-  
renter se habentes & ancipites; alii denique, qui vix unquam  
vel saltem rarissime morbum plene & salubriter finiant, sed post  
symptomata gravia, turbulentia, aut tristem catastrophen, aut

„saltem recidivam inferant &c. Quæ quidem sollicita & cauta dierum Criticorum discriminatio & digestio , velut in certos ordines atque stationes , sapit , præ illa proditrice conjectura , Galeni ingenium acutum , vafrum ; num æque vero mentem Hippocratis? viderint , quorum interest . Evidem Hippocrates universaliter pronunciat loco citato Libr. Progn. *Febres* *judicari* *EIS DEM NUMERO DIEBVS* , quibus sit , ut super sint homines , aut moriantur . Quam sententiam iisdem fere verbis Libr. de *Judicat.* repetit . Ex quibus utique planis verbis , non potest concludi aliud , quam Hippocratem , harum Galeni distinctionum penitus signarum , & ancipites & malas crises corundem dierum termino adstringere , quibus & Crises certæ ac salutares fiunt . Sic ut morte occumbentes extra hos statos dies , non occumbant Crisi male procedente , sed *ægrotia* : hoc est , materia morbosæ aut copia aut malignitate succumbente natura , eoque ad pugnam decretoriam impari . Quod si vero regerant admiratores antiquitatis nimii , alibi Hippocratem mentionem facere Crisium die non Critico contingentium : *Si judicatio fiat ex tra prescriptos dies , recidivas fore significat , aut fuerit sene perniciosa* : Concedunt nobis , quod volumus , Hippocratem fluctuante sententia nutare , immo suis ipsum decretis repugnare . Eumque adeo a Galeno haec tenus magis fuisse proditum , quam defensum .

## XVIII.

Enimvero hæc aut vafræ dissimulans aut parum curans Galenus , illi dierum Criticorum ordini , quem excogitaverat ipse , denuo fundamentum substruere molitur ex decretis Hippocratis ; suis commentis , ut vidimus , magis labefactatis , quam adseritis . Eum in finem , in re utique precaria , adoptat & eligit , præ reliquis Hippocratis oraculis , sententiam Lib. Progn. & Aph. 26. Lib. 2. Ubi Crises perhibentur & perfectæ & salutares , quæ procedunt per quaternarios & hebdomadas . Animadvertis autem Galenus huic sententia manifeste repugnantem Aph. 36. Lib. 4. *Febriticanti , nisi diebus imparibus dimiserit Febres , reverti solet* : nodum hunc perplexum , artium Græca-

rum

rum oblitus, non dissolvit, sed dissecat, veluti stomachabundus; hoc est, in Comment. super dicto Aphor. negat Aphorismum hunc esse genuinum, immo disertim negat verum esse: propriea quod Hippocrates Crises die & quarto, & quarto decimo & Viceversa, qui omnes pares sint, fieri edicat ll. c. c. hisque diebus salubriter factas crebro enumeraret Libb. Epid. passim. At tamen, composito mox animo, cum deprehendit tot Hippocratis loca ex stare, quibus Crises non nisi imparibus diebus fieri, universaliter & quasi ex tripode edicitur: v. gr. præter ll. supr. cit. Libr. 4. de Morb. passim &c. hincque facile prævidit, si omnia haec Loca, ipsumque adeo Hippocratem, seu doctrinæ constituenda fundatorem, falsitatis argueret, se plane proditum, immo pessum daturum omnem causam, cui defendendæ tantopere insudaverat, ad ingenium reddit: Ille ipse, puta, Galenus, qui dies decimum quartum & vicecum pares modo dixerat, uti & communi hominum sensu sunt, nunc jubente sic, & cogente Hippocratis sententia, impares facit. Sed festivum est ipsum Galenum audire, commentantem ad haec Hippocratis verba: maxime vero numerus impar observandus. Dies impares, inquit, in acutis he sunt: terius, quintus, septimus, nonus, undecimus, DECIMUS QUARTUS & decimus secundus: in Longis, sexagesimus & octogesimus. Medii horum sunt VIGESIMUS & trigesimus quartus & quadragesimus. IMPARES autem & hi. Miro sane calculo. Non contineor, quin exclamem cum Satyrico: *Ludere par impar - - - quem delectis barbatum?* Juvit tamen Galenum; qui eo lusu, mire & ipse sibi, & suis sectatoribus placuit, admirantibus hujus computationis acumen.

Quod quidem omne (ut patet ex Comment. 3. Prognost. f. m. 419. & Lib. 3. de D. D. cap. 12.) in eo est, ut hebdomadas, ex quibus conficitur dierum Criticorum circuitus, aut separat pro arbitrio, aut eas conjungat s. copulet. Videlicet ut si dies decimus quartus impar, duas, ex quibus constat, septimanas diuelli, & separationem ab octavo die numerare incipiens, ab hoc,

Comment.  
in Hipp. de  
Rat. Viæ. in  
M. A. §. 56.

XIX.

D 2

ccu

ceu septimum & imparem decimum quartum facit. E contrario ut ex tribus dierum septimanis conficiat, non (ut homines solent) diem Vigesimum & unum, sed (præter sensum communem) Vigesimum, cumque Vigesimum diem in *imparem* transmutet, sic conjungit & complicat tres septimanas, ut denuo numerare incipiens a die Decimo quarto, aut hunc frivole bis numerans, ad Vigesimum usque habeat dies septem, hincque suo arbitrio & Vigesimum imparem. At vero quis non aut rideat, aut potius indignetur in re tali, utique seria, tam nugacem, tam frivolam cavillationem; in primis cum aperte repugnet illa ipsa anomala supputandi ratio iis decretis, quæ ipsem Galenus sequitur. Nam si octavus dies, a præcedentis septimanæ diebus avulsus, scorsim consideratur ceu dies primus, ab hoc utique secundus erit nonus, & undecimus porro quartus; eoque utrique hi dies, nonus, puta, & undecimus, eadem supputandi ratione erunt pares; eodem utique privilegio, quo est vigesimus impar. Quod serio statuere, uti non est hominis, sic everteret omnem non solum dierum Criticorum imparium (cui tamen hæc frivola calculatio est excogitata) rationem; sed & eam *canonicam Hippocratis doctrinam*, quæ *diebus imparibus, nono, undecimo &c. cathartica exhiberi veta*. At tædet sane atque piget talium nugarum; quarum tamen fuerunt protrahenda aliquot species (nam quotquot sunt omnes consecuti, esset opera abuti) ut vel tandem appareat ipsis Tironibus, qui male nati dies Critici, sint male sano & tenui tibicine fulti. Quod quidem adeo evidens est, ut nullus dubitem, quin Viri illi insignes, utique propter alia egregia merita colendi, suspiciendi, qui auctoritatem dierum Criticorum nostro awo adeo impense adserunt, ipsum Galenum aut nunquam, aut non ea attentione. serie &c. legerint, quæ ad paullo exquisitiorem censuram requiruntur.

## XX.

His igitur & similibus tricis implicitus Galenus, suisque artibus, ut vidimus, adeo non expeditus, tamen constituit nihil feci, suo arbitratu, cum dierum *Criticorum ordinem*,

dinem; quem, cœn liquidissima ratione deductum, systematum scriptores, miro ad hunc usque diem consensu, excipiunt & divulgent ut canonicum. Est autem iste ordo triplex. Primus & præcipuus complectitur dies Criticos, ut volunt, *genuinos, principes, & (ut loquitur cum Avicenna Arabum cohors) radicales*: qui per quaterniones & hebdomadas procedunt; nempe a die quarto ad *septimum*, inde *undecimum, decimum quartum, decimum septimum*, denique ad *vigesimum*: anomala, puta, illa supputatione; nam de prærogativa diei vel *vigesimi*, vel *vigesimi primi*, alteratio Galenum inter & Archigenem atque Dioclem, stantes pro *vigesimo primo*, nondum decisa est; longæ sunt ambages, longæ injuriæ, coque tranquillitati consultum est, quod creditum est Galeno. Post hunc *vigesimum* qui succidunt dies (mira Physiologia) sensim languent, & tandem, post quadragesimum, septenariorum vis penitus perit Galen. de D. D. Lib. I. c. 10. & alibi passim, Confer. *Claudin. Secl. 2. Cap. I.* Istorum autem dierum præcipuus perhibetur *septimus*, non solum numero & ordine, sed & potentia & dignitate, Etenim plurimos, inquit, (l. c. Cap. 4.) *judicar, & absolvire, item cum manifesta excretione vel abscessu* (cap. 2.) *fidenter, tuto, salubriter sine periculo vehementi;* hinc eum, miro utique schemate, *Regi comparat &c.* A *septimo* proximus *decimus quartus*, & hinc *Vigesimus*; utrique equidem non dignitate æquales, (quasi aurificis latera essent examinati) sed tamen pollentes salubri adhuc efficacia. *Quartus* dies (Lib. 2. cap. 2.) aut ipse morbum, si fuerit celerioris motus, nec malignus, solvit (quod tamen rarissime contingere); & non nisi semel a se observatum commemorat Galenus; nimisrum, nullo artificio potest subigi dies quartus, ut fiat impar) aut indicat futuram *septimo Crisin*, & ad hanc morbi materiam præparat. Similiter *undecimus & decimus septimus* indices sunt *decimi quarti & Vigesimi*, aut æque morbum solvent.

Hos inter *yyntios* *Criticos* & quasi *fastos*, qui intercidunt dies *impares*, secundum ordinem dierum Criticorum

D 3 constitutu-

constituant: volente sic & ordinante Galeno; quantum colligi potest ex *Comment. 3. Epidem.* Nam ubi ex professio de dierum Criticorum ordine agitur, recensio est mire perplexa, & adeo obscura, ut hinc nil fere, præter artem Galeni, latibulis sibi carentis, discas. Feruntur autem hujus ordinis dies, in prima septimana, *tertius & quintus*, in secunda *nonus & decimus tertius*, in tertia *decimus quintus & decimus nonns.* Dicuntur *intercedentes*, aut styllo antiquo Calendarii Romani, *intercisi* seu *promiscui*, velut inter fastos & nefastos intermedii: item *provocatorii*, eo quod creditur, provocare eos naturam & incitare, ut ante tempus (Galeni arbitrio) constitutum & legitimum, præcocom & præcipitem moliantur humorum excretionem. Hinc censentur quidem hi dies inter Criticos, propter eam prærogativam, quod sint impares: at Crisis, quam producent, perhibent imperfæcta, manca, ancipitis alex, nimirum quod fiat natura irritata, hinc & extra orbitam (Galenicam) acta.

**XXII.** Præter hunc duplicum dierum Criticorum censem, qui sunt reliqui *dies pares*, mira Galeni arte in tertium ordinem coguntur. Sunt enim valde disparati: quippe eorum alii, ut *secundus, decimus, duodecimus, decimus sextus, decimus octavus*, perhibentur prorsus nihil habere Virium, adeo ut nec decernant, nec indicent, porro nec provocent, nec promoveant naturam; coque *vacui* dicuntur: & si res est uti dicitur, revera festi & feriati dies sunt; nisi quod tunc, ex illo Canonico præcepto Hippocratis, catharticus locus sit: quibus utique natura, quod agat, negotii plus satis dari potest &c. Sin vero his diebus vacuis, coque prorsus præter naturæ (quem ipsi commenti sunt) ordinem Crisis contingat, quod tamen non nisi rarissime fieri perhibent, eam non posse non esse malitudinem, si non penitus perniciosa, adseverant. Allii istius ordinis dies, & quidem, ut observo, septimo utrimque proximi, *sexus & octavus*, feruntur quidem Critici, at absolute *nefasti, atri, perniciosi*: in primis *sexus*, in quem velut

Lib. IV.  
nisi tabay.

iii

in Cerberum Galenus ubique declamat, & flatu Asiano insurgit. Caussam forte ii viderint, quibus Galeni technæ sunt perspectæ. Nobis sufficiat, ut pateat sententia, non nisi pauca ex his declamationibus excerpere, & quidem ex Lib. I. de D. D. Cap. 2. 4. & 5. Sextum, inquit, tanto maligniore invenio; utpote naturâ ex adverso oppositum septimum. Judicantur quidem morbis in sexto frequenter, sed cum difficultibus symptomatis, & periculo non mediocri; adhuc absque fide, obscure, sine notis, & omnino ad malum: hocque ultimum ei maxime proprium est, sic ut sexi naturam nullus aliorum dierum imitetur. Hinc porro sic paratragediat, mihi equidem sepius in mentem venit septimi diei naturam Regi adsimilare, sexi vero tyranno: nam vel pernicie illius, quem judicandum accipit, gaudet, vel salute dolet, quariturque (istud hujus diei Demonium) ubi animam expleat, & egrum, qui in illum incidit, male (ceu Ixionis rotâ) tractet, & longa punitione exerceat &c. Quibus omnibus ampullis & tricationibus hoc adstruere velle videatur Galenus, Crises eas tantum esse perfectas, tutas, salutares, quæ septenariis & semi-septenariis dierum circuitibus & gradibus incedunt: reliquorum imparium dierum Crises esse anticipates; ceteris vero diebus paribus aut fieri nullas, aut perniciose, omnium vero pernicioſissimas, sexto.

Hæc septenaria periodi admiranda & præpollens efficacia, unde sit? a qua caußâ? mire, ut reperio, & ad pudendas usque ineptias, tot seculis investigatum, disceptatum & nugatum est. Octo & amplius discrepantes variorum sententias, quas & omnes impugnat, *Claudinus* enumerat. Eum evolvant, qui talia amant. Nos secure colligimus, rei in Natura non inventæ, sed arbitria & precaria sententia (ut hactenus vidimus, & porro liquebit) conceptæ, adeoque nihil, certam velle designare caussam, esse & frivolum & frustraneum. At enim *CL. Baglivius*, qui acri Zelo pro dierum Criticorum auctoritate pugnat, quem & sequuntur *alii nostræ aetatis Medici Celeberrimi*, rem omnem salvam fore existimat, si modo attendatur

De Prax.  
Med. ad  
Princ. obs.  
rat revocand  
L.II. Cap. 12.

datur ad naturæ ordinem usque quaque constantem , eoque sic procedentem , ut non nisi statu & certo tempore cuiusque actionis naturalis effectus obtineri queat ; hocque exemplo fermentationis conatur illustrare : in *Liquoribus fermentiscentibus* , inquit , *Nature lege cautum est* , ut eorum quisque fermentationis & depurationis sua motus determinatis diebus absolvat ; a qua quidem lege ne minimum quidem eos recedere observamus . Item fructus determinato dierum spatio ad maturitatem perveniant , & qualecumque demum artificium adhibueris , ut ante statutum a natura tempus vel fructus vel liquores alii ( ut loquitur ) fermentiscentes maturationem absolvant , frustranetum proponendum erit & vanum ; si quidem ad corruptionem potius , quem ad maturationem violentia illa diffones &c. Hac hypothesi , his exemplis ( quibus motus natura Criticos non valde accommodate assimilat ) quasi dierum Criticorum difficultates omnes , quibuscum tot seculis luctatum est , sustulisset , magnifice quidem se effert . Verum enim vero aut ipse non animadvertit , aut sane vafre dissimulat , se re-coquere ipsissimam Averrhois de diebus Crismis sententiam , jamdudum antiquatam ; eoque novam refutationem non meritam . Hoc quidem norunt vel ipsi Physices Tirones , & nemo unquam , quantum scio , negavit , ut actio naturalis sequatur suum effectum sive terminum , inter causam agentem , quæ est motus , & patientem , seu motu perficiendam materiam , necessariam esse certam proportionem , seu congruentiam ; eoque & certam atque determinatam motus speciem , & determinatum motus vigorem & impetum , item talis motus convenienti serie , seu mavis , numero continuationem : ergo & statum tempus ; quippe tempus heic nihil aliud est , quam mensura sive enumeratio seriei motus . Sed quid tum utrum hinc efficitur , materie in tot morbis ( qui Crisi finiuntur ) tam variae , eoque & tam varie sufficientis natura motus , unum & eundem posse esse terminum , iisdem , & uno gradu procedentibus , diebus Criticis constituendum ? an potius omnino contrarium ?

tearium? Ut declinetur invidia, dixerit *Vallesius*, qui sesqui  
ab hinc seculo, hanc Averrhois sententiam planissime, ut pu-  
to, confutavit: *Quod si*, inquit, *proportio potentie agentis ad Controvers.*  
*resistentem facere morbos his aut illis diebus terminari, cum Medd. L. X.*  
*hac variare possit, aut mutata succi (materia morbi) quanti-* Cap. i.  
*tate, aut aucta imminutaque virtute (vigore motuum Natu-*  
*rx) singuli dies possent esse decretorii; nam si in morbo, qui se-  
primo die erat judicandus, tantillum succi detrahatur, addasve,  
facies ut sexto aut octavo judicetur. Quare cum proportio in  
singulis naturis, & in singulis morbis permuteatur, non possent  
& morbis omnibus & temperamentis, & regionibus, & statu-  
bus & temporibus esse idem decretorii dies - - nec ulla ra-  
tione fieret, ut in his iutus, in illis minus tuto morbi judicen-  
tur, quod ad fidem dierum Criticorum pertinet.*

Is ipse igitur *Vallesius*, ut auctoritas diebus Criticis (si XXIV.  
pote) sarta recta adseratur, acquiescit in sententia Galeni; quæ  
statam illorum (si quæ est) periodum, quam in tanta morbo-  
rum varietate, ab una & sola causa intrinseca habere non pos-  
sunt, tribuit caussis (ut loquitur) cœlestibus, mutationibus ele- Lib. 3. de  
mentiaribus, ut putat, non obnoxii; hoc est, ut verbo dica- D.D. Cap. ii.  
mus, periodo & influxui *Lune*. Non desinit hæc sententia in  
hunc usque diem obrudi; licet jam dudum confossa a *Valleriola* Loc. Comm.  
& penitus jugulata, oeu aperte ipsorum Astrologorum Lib. 3. Cap. ii.  
doctrinæ plane contraria. Hinc & Galenum, profacentem se  
ab *Egyptius Astrologis Genethliacis* fuisse edictum, qua ratio-  
ne non solum Lunæ motus in quadratis signis & oppositis,  
diebus, ut tiani Critici, vim infundat; sed &, pro vario ad Plane-  
tas varios adspectu, dies pariat ægrotis pariter atque sanis aut  
faustos aut infaustos; Galenum, dico, ex amili credulitate hæc nu-  
gantem, merito sic redarguit *Fracastorius*, at quantus Astro- Opp. Tom. I  
logus! Certe, inquit, nedum si *Egyptius* aliquis Astrologus, p. m. 251.  
sed si *Egyptius* aliquis Deus, aut Annibis aut Osiris, bac mihi  
dixeris, non facile credam.

E

Nec

## XXV.

Nec forte omnino firma, quæ de *Luna influxu* commentus etat, habuit ipse Galenus. Etenim confitetur, se commentum amicorum sollicitationibus, ea edidisse quasi invitum. Eoque monet, non tam his commentis, quam *experientia*, & hinc nata *observatione* dies Criticos esse constitutos: unice ergo & hinc eorum auctoritatem adserendum. *A*quam sane est, quod & monet & postulat. Nam ubi de *re* aliqua *vere existente*, seu, quod dicitur, τῷ ὄτι, aperte constat, eam ipsam rem nemo sanus ideo negaverit, quod *rei causa*, *modus*, seu *forma*, τὸ διότι in *incerto* sit, vel ignoretur. Sed enim? unde colligemus eam *experientiam*, eas *observationes*, ad quas Galenus provocat? Ab *Hippocrate* utique præter *Libros Epidemicorum* nihil habemus, nec habuit ipse Galenus. At ex his Libris, quorum auctoritatem ad probandum idoneam ipsem et (ut supra vidimus) evertit, qua fronte, quo successu, petere potest subsidia, & auctoritatis, ut loquuntur, *præscriptionem*? Porro, cuiam sententiam, cui dierum Criticorum ordini, quem triplicem eumque omnino diversum & contrarium apud Hippocratem invenimus, quemque Gratiis adeo invitis Galenus, ut liquido deprehendimus, conciliare & ordinare conatus est, cui, dico, horum dierum ordini adseremus ex his libris Epidemicorum fidem atque auctoritatem? Si uni: evertimus utique reliquos; forte frivolo aut saltem *incerto* judicio: cum quidem de singulis æque universalis & aphoristica, coquè parem fidem merita, Hippocratis sententia habeatur. Verum tamen, ut simus paullo indulgentiores, concedamus relatis eo libro experimentis Hippocratis, ut hinc statuatur de prærogativa illorum dierum, qui procedentes septenaria & semiseptenaria periodo, unice peribent genuini & salutares Critici. Hinc constituatur, hinc judicetur rex (Galeni) *septimus*, & *tyrannus sextus*.

## XXVI.

Evidem recentur in his libris, hic illuc exempla Critium salutarium dici septimi, sic satis numerosi; quæ omnia Galenus sollicite colligit, una serie enumerat, & extollit. Que vero

vero ibidem memorantur exempla, numero tantum non paria, Crises, die septimo incipitis, aut recidivam aut prorsus mortem inferentis, ea vafre dissimulat, vel quantum potest elevat. Hoc est, praeter aequum hypothesi concepta calliditate consultit. Enumerat pariter Crises decimi quarti, decimi septimi, verbo omnium dierum, qui hypothesi congruunt; & ut vicissimo praे vicissimo primo (contra Archigenem) jus principatus adquiratur, sive joculariter, quasi captat suffragia; cumque in finem aliquor capita libri de D. D. prodigit. Hoc que agens simulat, se non sine impensa cura, & exquisito iudicio, de singulis diebus discepare & arbitrari. Si vero auferamus phaleras, apertum fit, id potius cunctis his Logis & tricationibus Galenum agere, ut occupentur Lectores, ne attendant ad alia, oppido tamen frequentia, Librorum Epidemicorum loca, quibus factæ recensentur Crises, omnino satutares, die non solum (Galeni arbitrio) non Critico, sed atro penitus, ut octavo, & sexto, illo tyranno, scilicet. Omnia ista loca coacervare, ut in priuatu, sic esset opera abuti. Sufficiat pauca, & ea qua instar omnium esse possent, selegisse. Lib. 3. post constit. pestil. Aegr. XII. Legitur Crisis die sexto. per efficacissimas evacuationes, sc. emanantem, post largam haemorrhagiam, sudorem copiosum, calidum & per universum corpus æqualiter diffusum, eoque optimæ nota, perfecte & salubriter finiisse (*περὶ ναυτῶν*) febrem ardentem, morbum, puta, acutum gravissimum. Quid ad hæc Galenus? in Libris de D. D. hoc est, suo loco, ne με quidem. Nil curat; nil est, quo patiatur se averti, ne quidem experientia manifeste contraria, quin contra imaginariam diei sexti tyrannidem paratragoediet. At tandem ad hunc Hippocratis locum sic commentatur, sic cauflatur: *mirum in-* Comment. 3.  
*quit, morbum non revertisse;* *cum sextus non judicet un-* in Lib. Epis  
*quam fideliter.* Quare novum hoc & rarum illi accidisse  
judicavit, cum scriptus: huic non reperit, sed *judicata*  
est; tanquam oportuisset repetere. Frivole sane! quid enim

enim? unusne hic locus narrat Crisim die sexto factam? sic ut rara ea & admiranda sit? Hoc equidem ut posteritati persuadeat Galenus, enixe, ut reperio, laborat. At Libr. 4. §. 4. Sub *Vergiliarum occasum* (non uni tantum & alteri, sexto die Crisim contigisse, veluti præter solennem ordinem & fortuito, sed) omnia die sexto & octavo judicata fuisse, memorantur. Et, ne forte arguatur, Crises istas omnes fuisse perniciose, additur illico §. 5. exemplum *Femine èn náv̄ in w̄v* (ustione seu inflammatione) diarrhœâ & praecordiorum angustiâ pessime habite, at salubriter ipso illo die sexto sudoribus judicata. Hec tamen similiaque Lib. 4. loca Galenus & alto silentio ulciscitur, seu supprimit, & evertere admota sibi ubique præta machina conatur.

**Comment.** Nimirum negat hunc librum quartum esse genuinum Hippocratis fætum; quin immo, hunc ipsum non solum optimi Parentis agnominatione, sed & Thessali (Hippocratis Filii) adoptivis & tutela excidere, severâ notâ censet. At vero, & hanc notam dudum redarguerunt, quotquot fuerunt cum Prospero Martiniiano genuini Hippocratis Commentatores; &, quod sane miror, ipsenam Galenus, sui oblitus, inconstantia utique non Censoria, alibi sic censet: *At quoniam, ait, secundus,*

**Lib. 3. de Dyspn.** *QUARTUS & sextus Epidemius Liber, vel ipsius Hippocratis est, vel ejus Filii Thessali, panca etiam inde sumemus &c. h.e. Hippocratis est non est, prout visum est Galeno expedire, vel nocere causâ atque hypothesi, cui suo arbitratu patrocinatur. Quod sane est furilissimum. Licebit igitur nobis, meliori utique jure, hoc libro vindicato sic instare, ut hujus pugnae fiat tandem pauca! Videlicet ibidem §. 15. temperatatem aliam, suo more, brevibus describens Hippocrates, post Vergilias, inquit, tempus placidum, nubilosum & caliginosum fuit: Crises & quinto, & sexto, & septimo die siebant, itemque longius procedebant. Id est, promiscue siebant, sic, ut nullus dierum Criticorum neque circuitus, neque certus terminus definiri poterit.*

Hinc

Hinc igitur, ut vides, planissime liquet, ne quidem ab experientia Hippocratis, ad quam cum Galeno provocatur hodieque, imaginariis diebus Criticis quidquam esse praesidii. Atque adeo cum & hinc causa cadant, & excititate iis constitutis cunctae rationes, ut haec tenus est perspectum, futilis sint & pro rorsus nullae; non est, puto, quod dubitemus, quin jure contemserint alborum & atrorum illorum dierum fabellas & officias, antiquorum Medicorum prudentissimi. Sunt vero ex illorum ordine veluti antesignani, primum *HEROPHILUS*: cui ipse Galenus, in adversarios ubique ini quis, hanc meritam laudem denegare non sustinet, *quod in omnibus, que ad artem spectant, fuerit sane eruditus; quem & Celsus inter praecepsos Medicos numerat, & eum naturae indagatorem insignem passim praedicat*; tum *XENOPHON*, ab ipso Galeno pariter laudatus: porro, *ASCLEPIADES*; cui quidem Galenus, ut Auctori secta cui erat infensissimus, ubique quantum potest detrahit: *Asclepiades, inquit, in eo omnibus refragatur Medicis non solum, verum etiam reliquis hominibus, quod omne in morbis naturae decretum & decretorium diem, & naturam pro animalis salute in universum quidquid moliri negat.* At vero is ipse Asclepiades, vindicem nactus Celsum, Romanum ingenuum, a Graeculorum technis alienum, coque ut aequiorem, sic fide digniorem judicem, longe alias, quam Galenus eum haberi voluit, appareret. Is igitur refert, *Asclepiadem quidem jure dies Crismos repudiasset, neque in ullo die, quia pars impar esset, agris vel majus vel minus periculum esse, dixisse, hincque Medicum non numerare dies debere: cum utique, ut prudentissime & vere ipse Celsus arbitratur, minime in rebus multum inter se differentibus, perpetuum esse preceptum temporis esse possit: sed intrueri potius oportere ipsas accessiones (cujusque morbi singulares & multum differentes mutationes) & ex his conjectare quid usus sit.* Quarum mutationum, omniamque naturae adversus morbum motuum, usque adeo sollicitus fuit Asclepiades observator, ut (eodem Celso teste) professus febre ipsa praecepit se ad remedium uti, ne turbaretur

## XXVII.

*Lib. 2. de D.  
D. cap. 7.*

*Lib. de Dis-  
iect. uter,  
cap. 5.*

*Comment.  
de Atticul. §.  
69.*

*Lib. I. de  
Nat. Facult.  
Cap. 14.*

*Lib. III. de  
Medicin.  
Cap. I V. p.  
111' & seqq.*

hinc futura Crisis, plane sustulerit frivolum medicamentorum  
 usum, & medicorum his satagentium conatus, cœu mortis, ut  
 ap. Galen de  
 Ven. sect.  
 adv. Erafistr.  
 Praefat. ad  
 Lib. de  
 Comp Med.  
 ap. Cœl. Au-  
 rel. Acut.  
 Lib. I. Cap.  
 14.  
 vocat, meditationem condemnaverit. Nam omnia medi-  
 camenta, quod passim criminator Galenus, Asclepiadem non  
 fuisse adversum, sed iis & variis & efficacissimis fuisse pru-  
 denter usum, ex Scribonio Largo, itidem Romano scri-  
 ptore, liquido constat. Euæcupias autem s. temporis oppor-  
 tunitatem (medicina animam) quam magnificam appellat Asclepiades, ut consecraretur, sicque mature, una cum  
 motibus naturæ, tâ deoꝝtœ ageret, pluribus horis, immo-  
 urgente necessitate, totis diebus, ut ex Celso colligere est,  
 uni ægrotō adsidebat. Hoccine est nature judicia contemnere?  
 an magis, ut nemo negaverit, ea & optime cognoscere, &  
 cognitis optima ratione consulere? Utinam triviales Prædicti  
 exemplum hinc, quantum licet, caperent, & saltem frivolum  
 receptismum, ex Galenismo male natum, hinc dediscerent. Sed,  
 ut animadvertisit noster Celsus, qui quæstui serviant, quoniam is  
 major ex populo est, libenter amplectuntur ea præcepta, que se-  
 dutilitatem non exigunt; uti in ipsa hac re. &c. Accedit sen-  
 tentia Asclepiadi ipse ille A. CORNEL. CELSUS, ingenna  
 & cultioris Medicinae perenne decus; qui, ut solet libere &  
 ingenue decernere de placitis decessorum, utpote nullius ad-  
 dictus sectæ (ut vel hinc dignam Patricia gente Cornelia pro-  
 geniem, non utique vernulam, agnoscas) sic post exquisitissi-  
 mum judicium super decretis Hippocratis de diebus Crisi-  
 mis, in hanc finit sententiam: *Adeo apparet, quacumque*  
*ratione ad numerum (dierum criticorum) reflexerimus, ni-*  
*bilis rationis, sub illo quidem Autore, reperi.* Verum in  
 his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri  
 fefellerunt.

**XXVIII.** Habemus ergo, Celso judge, male Pythagorizantem  
 Hippocratem; hoc est, ordinare conantem dierum Criticorum  
 per septenarios periodum, ex male, ut arbitror, intellecta  
 Pythagoræ de numeris doctrina, arcana & symbolica. Quod  
 quidem

quidem, ut video, non agnoverunt, nedum ut concedant,  
 qui, ex limpido Naturæ fonte nusquam non pure fluere Hip-  
 pocratis doctrinam, persuasum habent. Hinc & cum Gale. Lib. de D. D.  
 no, qui pro deridiculo exponit Pythagoristarum fabellas, nume-<sup>3</sup>; Gap. II.  
 rorum ad inducendos dies Crisimos efficaciam, quam negant,  
 ipsi passim acriter confutant. At vero cum imparatam ab aliis  
 & firmis fundamentis, quin immo prorsus male conceptam  
 omnem dierum Criticorum doctrinam, (secus ac creditum pa-  
 riter hucusque est) evidenter, ut confido, haec tenus vidimus:  
 quidni accedimus CELSO? Viro in omni cultioris disciplinæ  
 genere versatissimo; hinc & illarum rerum, si quisquam  
 alius, idoneo arbitrio. Vel potius, na&ci in Tali Viro exem-  
 plum, quidni ipsimet scripta Hippocratis inspicimus nostis;  
 hoc est, auctoritatis præjudicio & servitute emancipatis ocu-  
 lis? & libera hinc inquisitione arbitramur ipsi? En indicium:  
*Septenario numero sic circumscribi omnem hominis vitam,*  
*placet Hippocrati Lib. de Principi, ut intra septimum diem hū-*  
*mor seminalis utero conceptus, conformetur in rudimenta o-*  
*mium partium, que corpus habere debeat.* Vel, ut arguta-<sup>In Somn.</sup>  
*tur, ex irosto Hippocrate, Macrobius, semine semel intra for-*  
*mandi hominis monetam locato, hoc primum artifex molitur*<sup>Scipion. Lib.</sup>  
*natura, ut die septimo folliculum geminum circumdet*<sup>I. Cap. VI.</sup>  
*humori, ex membrana tam tenui, qualis in ovo ab ex-*  
*teriorre testa clauditur, & intra se claudit liquo-*  
*rem.* Hancque septenarii numeri Vim adeo extollit Hip-  
 pocrates, ut plane τῆς Φύσις αὐτάκη, natura necessita-  
 tem appelleret. Lib. cit. sub fin. Item Septimum diem inter alios  
 maxime insignem esse, hunc multum in morbis, multum in  
 fœtibus posse, prohibet Lib. de septimest. part. Hinc fœtuum  
 conceptiones & abortiones & partitudines, eodem tempore  
 (xpiuedai) judicari, quo & morbi & sanitas & mors cunctis  
 mortalibus contingunt. Hinc septimum mensem in gravidis  
 perfectionis initium fœtibus adferre; atque adeo septimo mense  
 natum vera ratione in lucem prodire & viualem esse:  
 enim

enim (NB.) rationem & numerum exacte ad septimanas respondentem; octavo autem mense natum, nullum unquam vixisse. Eod. Libr. de Princip. Post hæc denique, & in eundem sensum alia, concludit, esse ergo (ex una septenarii potentia) eandem rationem dierum Critorum. Ergo & animadvertere jubet Medicum, si quidem recte de agrotorum salute conjectare volet, ut omnes quidem dies in contemplationem adhibeant, ex partibus vero decimum quartum & vigesimum octavum, & quadragesimum secundum. Hic enim terminus, ait, pro harmonie ratione, & integer & perfectius numerus a QUIBUSDAM ponitur &c. Quæ præter hæc adducuntur ab Hippocrate, non est cur moremunt; quis enim non aperte videt, qui fuerit in historia Philosophorum antiquorum vel perfunctorie versatus, illos QUOSDAM Hippocratis, esse ipsos illos Galeno adeo derisios Pythagoristas? Dubitas? consule Commentatores in Arithmetica Pythagoream. Nobis ad manus fuerunt Iamblichus in Nicomachum Gerasenum, & in eundem Joach. Camerarii explanationes. Et quem Salmasius commendat, ceu præcipue insignem, Proclus in Hesiodum περὶ ἡμέρῶν. Qui sane Commentatores harmonicas illas, quas heic innuit Hippocrates, numerorum rationes, per septenarios procedentes, ita exputatas, & septenarii numeri miram, & tantum non omnipollente Virtutem, ita dimensam Tibi dabunt, ut stupescas. Hinc derome, qui talia amas, quantum lubet; nobis, qui sumus ab his deliciis paullo alieniores, indicium fecisse satis est.

## XXIX.

Quæ ex his Philosophematis est concepta opinio, de admiranda, & per omnem rerum naturam diffusa, septenarii numeri potentia, hinc emanavit ad omnis generis scriptores; eam mire, pro suo quisque genio, ebuccinantes. V. gr. Macrobio est hic numerus, qui hominem concipi, formari, ediri, vivere, ali, ac per omnes atatum gradus tradiscere, atque omnino constare facit. Censorino habetur is, quo tota humana vita finitur. Quin immo, quod mireris antiquo

JCTq

In Somn.  
Scip. l. c.

Lib. de Die  
Natali.

J Cto Julio Paullo, h[ic] logi fucre adeo probati, ut caussam, (seu, si fas Recept. sen.  
est dicere, fundamentum) Legis hinc extricari: *Septimo*, in tent. Lib. IV.  
quit *mense natus matri prodest*. *Ratio enim Pythagorei numeri Tit. 9.*  
*hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno, aut decimo men-*  
*se partus maturior videatur.* Ergo misella mater, effundens  
inutilem offam, mense octavo: numero infausto, scilicet.  
Quod si vero hac, & quæcunque alia de numero septenario  
speciose ubique enarrantur, coram experientia sistantur tribunalis,  
causa omnino cadere creditam illam efficaciam mirificissimam  
deprehendimus; uti quidem hodiernis Physiologis, suis exper-  
imentis arcanorum naturæ intimorem conscientiam adeptis,  
est perspectissimum. Non est igitur, quod in logis illis re-  
futandis nos diffundamus per omnia illas species, quas cumu-  
late & indigeste, satura quasi lance, refert Macrobius l. c.  
Satis sit paucis, & velut in transitu animadvertere, vel ea ipsa,  
quæ ex nostro Hippocrate protulit, seu indubitate, omnino  
secus se habere. Videlicet de perfectione genitura, quæ fiat  
*intra septimum diem: & fetus maturitate intra septimum*  
*mensem potiore, quam sit octavo.* Ad primum enim quod  
attinet, liquido & ipsa adeo autopista anatomica constat, ovula  
(s. illos Maerobii *folliculos*) ex quibus omne animalium genus  
nascitur, non demum formari aut genitura masculina, aut  
seminum utriusque parentis coalitu: sed illa ipsa ovula esse fe-  
xui fœmineo connata, eaque sensim cum ætate pubescente ad  
justam maturitatem pervenire; atque, ut luculenta *experi-  
menta Malpighiana* docent, continere non merum humorem  
natalem; sed una cum hoc, prima omnium partium corporis  
rudimenta, seu stamina: non secus ac semina Vegetabilium,  
ideam s. formam integræ plantæ. Sic ut non sint ex liquore  
genitali masculino, seu ex aliqua massa, conficienda partes  
corporis (ut opinatus est, cum Hippocrate, Macrobius) sed istæ  
in ovulo jam ante imprægnationem præsentes, aura solum vi-  
tali feminis suscitanda, explicanda, vivificanda. *Partum se-*

*ptimestrem*, & que ac *octimestrem*, esse præter solemnum naturæ ordinem, & veluti præcipitari, aut violenta qualicunque affectione, aut defectu nutrimenti, nostra ætate (in Foro quidem Medicorum) extra controversiam est. Immo indicat talium fœtuum imperfectionem ipsa corpusculi *έξις*; utpote cutis nimia tenuitudo & mollitie quasi fluens, minusque consistens, ungues nondum durati, sed humidam membranulam, qualis est ovi interior pellicula, referentes, item vigilandi impotentia &c. Porro, exemplis quidem constat, octimestres non minus, quam septimestres, fuisse vitales; at & hoc non secius constat, rarius utrisque hanc benignam sortem evenire, sed plerisque non nisi vita usuram dari brevissimam. Sic tamen ut octimestris, seu corporaturâ & hinc vivacitate (ceteris paribus) prævalidior, septimestri magis vitalis, uti est, sic haberi jure possit & debeat. Quod quidem C. Drelincurtus, singulari de partu octimestri diatriba, jamdudum liquidissime demonstravit. Adeo ut veritati haec tenus congrua sit & Plinii Observatio Translatitium, inquit, in *Egypto* est, & *octavo* (mensi) gigni: jam quidem & in *Italia* tales partus esse vitales, contra prisorum opiniones.

Hist Nat.  
Lib. VI.I.  
Cap. 5.

## XXX.

Cum igitur his veluti palmariis pro septenario numero argumentis nil quidquam efficitur, facile est arbitratu, quid statuendum de reliquis: nempe de illis insignibus corporis, sanitatis, virium mutationibus, quæ perhibentur contingere ad periodum *septenorum* sive *mensum*, in ætate infantili, sive *annorum*, in reliquis ætatibus. Evidens enim est, singula hæc non ita arcte his statis septenarii terminis circumscribi, quin habeant magnam omnino latitudinem & disparilitatem, pro varia, eaque omnino diversa ratione temperamenti, & climatis, & vita generis &c. adeoque ad *αράγην* (necessitatem statam) *septenarii numeri*, ea inepte & frivole referri. Verum quid istis tricis diutius inhæremus? Ipse Pythagoras causam Physicam *numeris* non adscripsit; nec potuit, cum sint, ut norunt vel Logicorum pueri, non substantiaz non res,

sed

sed notiones tantum secundæ. Neque is ipse, tot rerum dispositarum & diversarum seriem seu effectus, quot a diversa causarum naturalium actione & reactione fiunt, & varia, pro varietate causæ, periodo procedunt, unius numeri termino temere alligavit, nec una eaque impertinente decempeda est emensus. Sed potius, ut ex *Porphyrio*, sive mavis *Malcho De Vita Pythagorica* constat, numeris Pythagoras doctrinæ causæ usus est, fere ut <sup>thag. §.48.</sup>  
 solent suis sive figuris, sive notis & signis, qui Geometriam & 4 edit,  
 aut Algebraam docent vel plane ut symbolis hieroglyphicis:  
 quibus numeris discipulos interioris admissionis ( tradita Conf. Plus  
 prius clavis ) particeps faciebat arcane suæ ( undecun- tarch. de Isid.  
 que demum, sive ab Ægyptiis, sive ab ipsis Judæis hau- & Osir. Opp.  
 sitæ doctrinæ; reliquos vero gregarios ( denegata illa clavis ) T. II. f. m.  
 eam celabat. Hinc & Jamblichus: *Ipse Pythagoras pleraque De Vit. Py-*  
*thagorei, esoterici sensum inde perspicuum: ceteri vero in & 35.*  
*medis acroamatibus versantes (exoterici, acusmatici, & Py-*  
*thagorista proprie dicti) instar Tantali Homerici, nullum alium  
 inde fractum, quam dolorem perciperent; paucis duntaxat ex-  
 cepitis, que exilio rarique igniculi instar quibusdam inheserunt.*  
*Num itaque miramur adhuc, nostrum Hippocratem numerosos  
 Pythagoricos fecellisse?*

Possimus igitur, cum dies Critici nusquam non causa XXXI.  
 cadant, jure finire sententiam; nisi eam paullulum retineret in  
 suspenso, jactata *Galeni experientia*, ad quam passim & anti-  
 quiiores & hodierni desperatae causæ Patroni ultimo provo- Lib. II. de  
 cant. *Ego inquit Galenus, in una estate plures quam quadrin- DD. cap. 7a  
 gentos homines, acute agrotantes, universos vel septimo vel no-  
 no die Crispi habuisse confixi &c.* Ohe quadringentos! Forte  
 numero, ut solent Græci, rotundo & indefinito, ut alibi my-  
 riades. Quod tamen non urgamus. Immo & hoc alii vide-  
 rent, experientia Galeni, patrocinantis ambitione propriæ cau-  
 se, quantum tribuant. Qualisunque demum hæc sit, mihi  
 perspectum est, eam non congruere cum sententia Hippocra-  
 tis: quam tamen suis experimentis adserunt ire, & ipse vide-  
 ri vult,

ri vult, & passim creditur. Dicam (ut sit tandem *finitus Oren-*  
*ses*) paucis Hippocrates & Galenus numerant dies omnino di-  
 versimode. Hippocrates sumit pro primo morbi die id tem-  
 poris spatium indefinitum, quantulumcunque demum, quod a  
 primo morbi insultu ad solis occasum restat: sic, ut quam-  
 vis duabus demum horis ante occasum solis morbus in-  
 gruat, tamen prius morbi dies occidente sole (ex sententia  
 Hippocratis) finiatur: atque adeo quæ subsequenter eveniunt,  
 non referantur ad diem primum, sed secundum. Quod qui-  
 dem operosissime, contra Galenicos, demonstravit *commenta-*

*Prosp. Mar-*  
*tian. in Hip-*  
*poc.* f m. 313.  
 & seqq.

*Lib. 2. de*  
*Crisib. Cap.*  
 2. & alibi  
 passim.

*Progn. Lib. 3*

*Comment.*  
 super hoc  
 loc.  
*L.c. f. 386.*

*e contrario omnes morbi*  
*dies æqualiter numerat, & definit spatio XXIV. horarum. Nec*  
*potuit aliter, si quidem consultum cuperet suæ hypothœsi, Astrologica. Ergo a prima hora, qua manifeste invadere ce-*  
*pit morbus, diem numerare inchoans, non nisi clapsis a prima*  
*invasione horis XXIV. primi dici finem, & secundi initium con-*  
*stituit. Hinc sane apertum est, non potuisse non fieri sepi-*  
*sime, ut, qui fuisset Hippocrati dies septimus & Criticus Princeps, is idem dies, ex Galenica computatione, fuerit sextus,*  
*omnium pessimus & tyrannus, scilicet: & contra &c. Porro ex*  
*loco Hippocratis, quo perhibentur mulieribus quoque juxta*  
*eandem rationem (computandi dies per quaterniones & septe-*  
*narios) Crises fieri a partu, concludit Galenus, & docet dierum*  
*Criticorum computationem non esse inchoandam a morbi, qui*  
*partui supervenit, initio, sed ab ipso partu; contra clarum hu-*  
*jus loci sensum, ut liquido demonstravit idem Martianus, im-*  
*mo contra institutum ipsius Hippocratis, ut cuivis est in prom-*  
*tu colligere, ex tribus luculentis historiis mulierum ex partu*  
*ægrotantium Libr. Epidem. I. Sect. 3. quibus historiis dierum*  
*fit enumeratio a morbi invasione, non, ut vult Galenus, a par-*  
*tu; ne quidem, quod accidisse illarum mulierum uni, Epierat-*  
*is uxori, memoratur, ne quidem dico, si postridie a partu*  
*morbis ingruat: quod in primis contra Galeni defensores ad-*  
*vertendum est. Hinc, forte non injuria, concludit Martianus,*  
*summa esse admiratione dignos tot Viros insignes, qui, Galenij au-*  
*toritate*

*lloritate obsecrati, in tanta claritate caligaverunt.* Et nos, ceu in re confessâ, manifeste deprehendimus, Galenum in hac doctrina, ut fere omnibus suis commentis, sic & suis experimentis usque adeo non commodare decretis Hippocratis, ut ea magis, destitutus & evertat. Propterea censimus, nostro, ut confidimus, jure, doctrinam universam de diebus Criticis male natam, frivole tot seculis jaetataim, & quasi per manus traditam, nulla unquam constituisse vera demonstratione, sed inera & vana opinione, concepta ex præjudicio auctoritatis, & levi hinc credulitate, esse suscepitam, & in hunc usq; diem propagatam.

Equidem (quod forte juvabit epimetri loco addidisse) XXXII.  
 Interpretes & Commentatores præcipui, reliqui gregis veluti duces, indissolubiles in doctrina de diebus Criticis nodos, paralogismos, *dovsasias*, (quæ hactenus investigata confutavimus) aut attingunt, ut reperio, dumtaxat leviter, & male sarta gratia componunt; aut, quo sunt erga venerandos falaris doctrinæ Parentes affectu, prorsus dissimulant, & mantelo quasi nuditatem tegunt. De qua quidem, quam vocant, verecundia, u[er]o luber, alii statuerint. Mihi videtur esse perspectum, eam semper obfuisse plurimum artis profectui. Atque adeo illos quidem inepte religiosos, fuisse in omnem posteritatem inofficiosos, hinc & injurios. Nimium, cheu! evidenti arguento sunt vulgata ad hoc dum systemata. Quantum usque quaque, ex traditionibus sine examine admissis, & frivole creditis, est & perstat tricarum, officiarum, affaniarum! unde, dum impeditur, obfuscatur, interpolatur quidquid reliquum est doctrinæ bonæ frugis, non potest non *ars*, per se longa, fieri Tironibus & perplexa & difficillima. Cuncta hæc tollere, plus quam Herculeus fuerit labor; certe non unus hominis; nedum obscuris dare lucem, perficere desiderata. Ergo bonum factum! quod, mutatis rerum vicibus, solertia & sagacia nostræ ætatis ingenia, non, ut olim, conjurent in decreta Hippocratis & Galeni: utique hominum, communis nobiscum fortis, hoc est, errare, labi, falli naturâ proslivium; sed id potius conspirante studio agant, ut liberi ab omni,

five

sive Medicorum sive Philosophorum, secta, iis mediis artem Medicam colant, quibus & unice potest perfici: quæ sunt, tum assidua operum & phænomenorum naturæ observatio, & indagatio per *experimenta mechanico-mathematica*, *Anatomica*, *Chemica*, tum præcipue *morborum*, in suas proprias species digestorum *historia certa*; & hinc deducta, hinc statim in *Theoria* vere *Experimentalis*. Hinc judicetur, hinc sitet aut cadat, quidquid antiquorum, quidquid novorum est inventorum, commentorum, fabularum. Nobis, qui connitimus iisdem liberis vestigiis insistere, satis erit, (si obstat nostra imbecillitas, quo minus queamus æquis passibus & ultra) saltem eatenus progredi, ut ab incertis & inutilibus secernamus certa & utilia; usque, pro nostra copia, hominum commodis consulamus. Eo quidem animo damus, quæ haec tenus de Naturæ Medicina sumus commentati, generali complexu, hinc ob brevitatem involuta & indigesta: at D.D. olim diducenda & perficienda. Eo animo, ut sane in neminem injurio, sic & nemini vadato, libere est contra dierum Criticorum adscitores disceptatum; prolixitate forte Lectori minus grata, at non evitanda, cum quidem ab ultima stirpe omnis fabula auctoritas erat investiganda, & refellenda. Quod si sic, ut confidimus & sumus utique connisi, effecimus, apertum tandem erit, doctrinam de diebus Criticis, quæ μετὰ τῶν Φαυταρίας systemata usque adhuc occupavit, cen destitutam omni idoneo fundamento, esse explodendam, & eo loco habendam, quo Astrologorum Genethliacorum, quibus questus est ex stulta aliorum credulitate, Anni Climacterici. Quamobrem vero & Galenus olim, præ reliquis quibuscum vixit Medicis, dierum istorum fastorum nefastorum jactaverit quasi scientiam & sollicitam observationem, & nostra ætatis Medici plures (quibus illorum vanitas forte non est ignota) paria cum eo facere nondum desistant, apertius numquam dixerit, nisi omnino invititus, & quasi lacesitus. Ut enim (quod scio) sunt multa in Medicina, quæ neque dici neque scribi possunt, sic forte multo plura sunt, quæ dici & scribi, iis minime expedit TANTUM!

P. 7. l. 20. leg. *avercras*. p. 12. l. 20. *eorum*. p. 15. l. 29. redintegratur. p. 17. l. 30. *facto*. p. 19. l. 2. *sphacelo*. p. 29. l. 21. *fideliter*. p. 30. l. 31. *Altis*. Adde ad p. 40. l. 19. *Vel potius*, una cum Proculo a D. Heinho a. 1603. editus Protospatharius; qui multo planius, quam ipse ille, quem Salmasius commendat, harmonicas numerorum rationes exputatas exhibet.

Ug 172  
SI

ULB Halle  
003 018 105

3







3

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> ACADEMICA,  
Doctrinam Medicam  
C R I S I,  
NATVRAE MEDICINA,  
*purgatam a vanitate & offuciis*  
DIERUM CRITICORUM,  
Una cum  
Parænesi ad Philiatros,  
Magnifici RECTORIS, & EXCELL. omnium Facultatum  
PROFESSORUM, Collegarum honoratissimorum, disquisitioni  
*Loco speciminis Professorii, more Majorum*  
P.P.  
IACOBVS van den VELDE,  
Dr. Medicin. Profess. Prim. atque SERENISS.  
PRINCIP. & DN. N. CLEMENTISS. Archiater.  
Respondente  
JOANNE JEREMIA HERBST,  
Philosophiæ & Medicinæ Studioſo.  
In Auditorio majori, ad Lanum, horis solitis  
a. d. XIX. Novembr. A. c1515ccxvi.  
MARBURGI CATTORUM,  
Apud PHILIPPUM CASIMIRUM MÜLLERUM, Acad. Typogr.